DISSERTATIO EPISTOLARIS DE Juramento Medicorum, QUI ΟΡΚΟΣ ΙΠΠΟΚΡΑΤΟΥΣ Dicitur:

In quâ *Venerabilis Vir*

Dom. BALDUINUS HAMEY, M.D.

Veterem vulgarem Versionem improbans,

Aliam substituit Novam; exploratis aliquot Virorum doctorum judiciis, quorum nomina sequens Pagella exhibet, in Syllabo eorum quæ in hoc Opusculo continentur.

Editore ADAMO Littleton, S. T. P.

Visum est in Lectorum gratiam, præcipuè eorum quos Ὅρκος *ipse* ἀδελφοὺς ἄῤῥενας, i. e. *Medicorum filios appellat,* Juramentum Hippocratis, *cum* Latinâ Versione, *in ipsa Operis fronte conspiciendum locare.*

LONDINI:

Prostat apud *Guilielmum Birch*, in Diverticulo Paulino, vulgò St. Pauls Alley, *over against the little North door.* 1693.

1433:15

CONTENTA

In Hoc

OPUSCULO.

I. Ἱπποκράτους Ὅρκος, Sive Juramentum Medicorum Hippocraticum cum Verſione Latinâ ex Editione *Joh. Ant. Vander Linden*, M. D. Profeſſoris *Leidenſis*.

II. Editoris Præloquium ad Eruditum Lectorem.

III. Diatriba Venerabilis Viri Domini BALDUINI HAMEY de Juramento *Hippocratis*, ejuſque Vulgari Verſione. *Pag.* 1

IV. Domini CASPARIS NEDHAM, *M. D.* Epiſtola. p. 8

VI. Domini JOHANNIS Epiſcopi *Ceſtrienſis* Epiſtola. p. 9

VI. Ejuſdem Carmen Ἐγκωμιαστικόν. p. 10

VII. Domini ADAMI LITTLETON, *S. T. P.* Epiſtola. p. 11

VIII. Ejuſdem ADAMI altera Epiſtola. p. 12

IX. Ejuſdem Carmen Εὐχαριστικόν. p. 22

X. Domini THEODORI RYCKII, Eloquentiæ & Hiſtoriæ apud *Leidenſes* Profeſſoris Epiſtola. p. 23

XI. Venerabilis Viri Domini BALDUINI HAMEY, ad Profeſſores *Leidenſes* Reſponſio p. 28

ΙΠΠΟΚΡΑΤΟΥΣ ΟΡΚΟΣ.

ΟΜΝΥΜΙ, [2]" Απόλλωνα [3] ἰητρόν, [4] & Ασκληπιόν, [5] & Υγείαν, [6] & Παγάκειαν, [7] & θεὺς πάντας [8] & πάσας ἵσορας ποιεύμενος, [9] ἐπιτελέα ποιήσειν, [10] κατὰ δύναμιν & κρίσιν ἐμὴν, ὅρκον τόνδε & ξυγγραφὴν τήνδε. [11]" ἡγήσεσθαι μὲν τὸν διδάξαντά με τὴν τέχνην ταύτην, [12]" ἴσα γονεῦσιν ἐμοῖσιν, [13] & βίου κοινώσεσθαι. [14] & χρεῶν χρηίζοντι μετάδοσιν ποιήσεσθαι. [15] & γένος τὸ ἐξ αὐτέου, ἀδελφοῖς ἴσον ἐπικρινέειν ἄρρεσι. [16] καὶ διδάξειν τὴν τέχνην ταύτην, ἢν χρηίζωσι μανθάνειν, "ἄνευ μισθοῦ & ξυγγραφῆς. [17]" παραγγελίης τε [18] & ἀκροήσεσθαι, [19] & τῆς λοιπῆς ἁπάσης μαθήσεως, [20] μετάδοσιν ποιήσεσθαι [21] υἱοῖσί τε ἐμοῖσι, [22] & τοῖσι τοῦ ἐμὲ διδάξαντος· [23] & μαθηταῖσι [24] συγγεγραμμένοισί τε, [25] & ὡρκισμένοισι νόμῳ ἰητρικῷ· [26] ἄλλῳ δὲ οὐδενί.

II. Διαιτήμασί τε χρήσεσθαι ἐπ' ὠφελείῃ καμνόντων [2] κατὰ δύναμιν & κρίσιν ἐμήν. [3]" ἐπὶ δηλήσει δὲ [4] & ἀδικίῃ εἴρξειν. [5]" δώσω δὲ οὐδὲ φάρμακον οὐδενὶ αἰτηθεὶς θανάσιμον. [6] οὐδὲ ὑφηγήσομαι ξυμβουλίην τοιήνδε. [7] ὁμοίως δὲ οὐδὲ γυναικὶ πεσσὸν [8] φθόριον δώσω. [9] ἁγνῶς δὲ [10] & ὁσίως διατηρήσω βίον τὸν ἐμὸν, [11] & τέχνην τὴν ἐμήν. [12] οὐ τεμέω δὲ οὐδὲ μὴν λιθιῶντας. [13]" ἐκχωρήσω δὲ ἐργάτῃσιν ἀνδράσι πρήξιος τῆσδε. [14] εἰς οἰκίας δ' ὁκόσας ἂν ἔσω, [15] ἐσελεύσομαι ἐπ' ὠφελείῃ καμνόντων, [16] ἐκτὸς ἐὼν πάσης ἀδικίης ἑκουσίης [17] & φθορῆς τῆς τε ἄλλης [18] & ἀφροδισίων ἔργων, [19] ἐπί τε γυναικείων σωμάτων [20]" & ἀνδρώων, [21] ἐλευθέρων τε [22] & δούλων.

III. "Α δ' ἂν ἐν θεραπείῃ ἢ ἴδω, [2] ἢ ἀκούσω, [3] ἢ & ἄνευ θεραπείης κατὰ βίον ἀνθρώπων, [4] ἃ μὴ χρή ποτε ἐκλαλέεσθαι ἔξω, [5] σιγήσομαι, ἄρρητα ἡγεύμενος εἶναι τὰ τοιαῦτα. [6]" Ὅρκον μὲν οὖν μοι τόνδε ἐπιτελέα ποιέοντι, [7]" & μὴ ξυγχέοντι, [8] ἐπαύρασθαι & βίου [9] & τέχνης, [10] δοξαζομένῳ παρὰ πᾶσιν ἀνθρώποις εἰς τὸν ἀεὶ χρόνον. [11]" παραβαίνοντι δὲ & ἐπιορκοῦντι [12] τἀναντία τουτέων.

HIP-

HIPPOCRATIS
JUSJURANDUM.

JURO [2] per Apollinem [3] Medicum, [4] & Æſculapium, [5] Hygeamque [6] ac Panaceam, [7] deoſque omnes [8] itemque deas teſtes facio, [9] me hoc jusjurandum & hanc conteſtationem conſcriptam [10] pro viribus & judicio meo integre ſervaturum eſſe. [11] Præceptorem ſane, qui me hanc edocuit artem, [12] parentum loco habiturum, [13] vitam communicaturum, [14] eaque quibus opus habuerit, impertiturum: [15] eos item, qui ex eo nati ſunt, pro fratribus maſculis judicaturum, [16] artemque hanc, ſi diſcere voluerint, abſque mercede & pacto edocturum: [17] præceptionum, [18] ac auditionum, [19] reliquæque totius diſciplinæ [20] participes facturum, [21] tum meos, [22] tum præceptoris mei filios, [23] imo & diſcipulos [24] qui mihi ſcripto caverint, [25] & Medico jurejurando addicti fuerint, [26] alium vero, præter hos, nullum.

II. Cæterum quod ad ægros attinet ſanandos, [2] diætam ipſis conſtituam pro facultate & judicio meo commodam, [3] omneque detrimentum [4] & injuriam ab eis prohibebo. [5] Neque vero ullius preces apud me adeo validæ fuerint, ut cuipiam venenum ſim propinaturus, [6] neque etiam ad hanc rem conſilium dabo.

[7] Simi-

[7] Similiter autem neque mulieri talum ſubdi-
[8] tium, ad corrumpendum conceptum vel fœtum,
dabo. [9] Porro caſte [10] & ſancte vitam [11] & artem
meam conſervabo. [12] Nec vero calculo laborantes
ſecabo, [13] ſed viris Chirurgiæ operariis ejus rei facien-
dæ locum dabo. [14] In quaſcunque autem domos in-
grediar, [15] ob utilitatem ægrotantium intrabo: [16] ab
omnique injuria voluntaria inferenda, [17] & corruptio-
ne, cum alia [18] tum præſertim operum venereorum,
abſtinebo: [19] ſive muliebria, [20] ſive virilia, [21] libero-
rumve hominum [22] aut ſervorum corpora mihi con-
tigerint curanda.

III. Quæcunque vero inter curandum videro [2] aut
audiero, [3] imo etiam ad medicandnm non adhibitus,
in communi hominum vita cognovero, [4] ea, ſiquidem
efferre non contulerit, [5] tacebo, & tanquam arcana a-
pud me continebo. [6] Hoc igitur jusjurandum mihi
integre ſervanti, [7] & non confundenti, [8] contingat &
vita [9] & arte feliciter frui, [10] & apud omnes homines
in perpetuum gloriam meam celebrari. [11] Tranſgre-
dienti autem & pejeranti, [12] his contraria eveniant.

Notæ Numerales cur additæ in Textu & Versione.

EX

TYPOGRAPHI Præfatione ad *Lectorem.*

MIrabitur forsan Lector, quòd tam in Græco nostro textu, quàm Latino, Numeros sibi respondentes inveniat; sed id factum est, partim ut prodesset imperitioribus, qui Græca sine interprete legere haud norunt (Illi enim principium sensûs in Græco & Latino sibi invicem respondere facilè hoc pacto invenient,) partim doctioribus inserviet, qui aliquando propiùs locum à se allegatum designare cupient, aut iis, qui notas & commentaria ad Hippocratem aliquando scribere satagent.

ERUDITO

ERUDITO
LECTORI
Editor S.

QUUM *ad manus meas fortè fortuitò pervenerint, non ita pridem, hæc quantulacunque Venerabilis Viri Domini* Balduini Hamey *P. M.* λείψανα *ex ipsius Antographo fideliter descripta, non potui committere, ut oblivioni tradita cum blattis & tineis diutiùs colluctarentur. Nam si vel ipsa gemmarum fragmina & ramenta & strictura in tanto pretio sint, ut negligi non debeant; si ex ipsius B. Salvatoris præscripto dapum cœlestium, quibus adventores suos exceperat,* κλάσματα *& Analecta in cophinos colligi oporteret, & verò quotidianas mensæ divinæ reliquias in glossocomo asservari, nimirum in pauperum usum; si denique mortuorum ossa & cineres, eorum præsertim qui de suis benè meriti fuerant, antiqua pietas exigeret in urnas reponi, ut eorum memoria apud posteros vigeret, quorum beneficia grato animo recoluit ætas præsens: non erit cur quis vitio vertat, hanc* κηδείαν *præstari tanto viro in reculâ tantillâ & tam levis momenti, ut aliàs, nisi tanto nomine munita foret, rejicula videri possit. Reliquit ille sanè monumenta famæ suæ longè majora; eruditionis* κειμήλια, *pietatis opera, Charitatis Officia, quæ ipsum dudum, etiam dum in vivis esset, æternitati consecrârunt. Testatur id*

Collegium Medicorum Londinense; *testatur Ecclesia* Chelseiana *testantur omnes, quà noti, quà ignoti. Verùm nec hoc, utut exiguum, erit aspernandum; quippe in quo sese exercuit præstantissimi Viri pariter ac Medici ἀγχίνοια, in quo etiam Viri aliquot eruditi sententias rogati protulerunt. Ego, qui mihi tenuitatis meæ probè conscius sum, cùm sim in istoc ordine infimus, de summâ disceptationis decernere, aut* Censorem *agere in quo* Editoris *tantùm partes sustineo; & à meâ susceptione & ab expectatione tuâ alienum existimo. Penes te,* mi Lector, *esto judicium; quod ut tibi meliùs constet ex perspectâ totius scripti mente, integrum Ὄρκον in ipso statim initio ad scribendum curavi.*

Quanquam hæc ita se habeant, uti se habere apprimè decet, ut penes te, Lector, *sit judicium; tamen quo magis de plano judices, haud erit supervacaneum aut inconsultum, pauca quædam te monere, quæ fortean è re tuâ erit non nescire. Ac primùm quidem Historiam hujusce rei simpliciter, & quâ potero fide, enarrabo. Deinde quæ supererunt alia in hanc rem dicenda, breviter attingam.*

Din insederat animo Optimi Senis hæc opinio, Juramenti Hippocratici *Versionem vulgò receptam parum accommodam esse aut* Hippocratis *ipsius genio aut honori* Artis Medicæ; *nimirum ut Discipulus Jurejurando & Syngraphâ adigeretur ad victum & alia necessaria Magistro sive Præceptori præstanda* χρηίζοντι, i. e, *si opus foret. Consulit ipsum Textum Divini Senis; colligit inde Argumenta ad firmandam isthanc Opinionem, partim ex* Variis Lectionibus, *quæ ex æquo propemodum admittunt* Aoristos *ac* Futura, *partim ex sequenti Commate, in quo litem contestatam arbitratur; quum quod in priori pericope profitetur de Magistro Discipulus,* καὶ βίου κοινώσασθαι καὶ χρεῶν μεταδόσιν χρηίζοντι ποιήσασθαι, scil. *Magistrum non minùs quàm parentes etiam vitâ communicasse & necessaria ad istam vitam suppeditasse, id ipse Discipulus, in posteriori pericope,* expla-

explanatiùs juret ſe, cùm Artem Medicam edoctus fuerit, facturum Magiſtri Filiis perinde ac ſuis, ἣν χρὴ ζωσι, viz. διδάξειν τέχνην ταύτην, παραγγελίης τε & ἀκροήσιος & τῆς λοιπῆς μαθήσιος ἁπάσης μεταδόσιν ποιήσεσθ' atque adeò, ſiquidem altera ſententia de Præterito alteri reſpondeat de Futuro, *ſubinfert, per* βίον *priore loco poſitum intelligi debere* τὴ τέχνην ταύτην, *per* χρεὼ *autem* ἀκρόασιν & τὴ λοιπὴν μάθησιν. *Quod ſi ſit, erunt Synonymæ locutiones,* βίε κοινώσασθ & διδάξαι τὴ τέχνην, *item* χρεῶν μεταδόσιν ποιήσεσθ & ἀκροήσιος & λοιπῆς μαθήσιος μεταδόσιν ποιήσεσθαι· *quod jurat Diſcipulus ſe exiſtimaturum ſibi a Magiſtro præſtitum, ſiquidem eum edocuerit (nam ita omninò vertendum erit* τὸν διδάξαντά με, qui me edocuerit *per futuro-præteritum) quod & jurat ſe Magiſtri Filiis ultro præſtiturum, quum ipſe aliquando Profeſſor Medicinæ futurus ſit.*

Summatim dixi, quo fundamento nitatur Venerabilis Viri ſententia & nova Interpretatio. Hâc ille nixus Hypotheſi *conſcribit* Diatriben *ſuam ineunte Anno Salutis* 1674. *quam primulùm ad me tranſmittit, prout ex datis conſtat, Eccleſiaſten putà* Chelſeienſem, *ubi tum degebat Vir Optimus; qui, cùm operam darem tum temporis,* viz. *Menſe Martio, prout mei Muneris vices poſcebant, Aulæ Regiæ, poſt aliquantulam moram, Reſponſum dedi; in quo, ventilatâ quà licuit re & excuſſis vocibus, tandem eò prolabor, ut exiſtimem non incommodè admitti poſſe hanc novam Interpretationem, ſiquidem conſtaret uſpiam reperiri apud idoneum auctorem Græcum hanc phraſin,* βίε κοινώσασθαι, *eo ſenſu accipi, quo parens generat filium,* i. e. *vitam ei impertit ſive communicat.*

Acceptâ hâc qualiquali Reſponſione, mox alios conſulit primariæ notæ Homines, Calparem Nedham *M. D. Virum Ornatiſſimum, qui cùm eſſet ejuſdem Collegii Socius, ultrò velificatur gratiæ;* & Johannem Ceſtrienſem Epiſcopum, *Virum undecunque Doctiſſimum, qui amotâ particulâ & à βίε ad γνώσιν, liberum aſſenſum, non ſine acuminis applauſu, præbet; quamvis nec ullus codex huic Lectioni faveat, nec*

ea

ea trajectio hic ullatenus neceſſaria ſit. Nam ſi illud ἔ *vel utrobique vel neutrobique ponatur, idem erit ſenſus ex mente hujus novæ Interpretationis ; nempe,* Juro me exiſtimaturum eum, qui me docuerit hanc artem, ſimiliter parentibus meis vitâ me communicâſſe, *aut* ſimiliter ipſis parentibus etiam vitâ me communicâſſe ; *quomodo & ipſe Venerandus* Balduinus *reddidit juxta vulgatam lectionem* ἔ βίῳ. *Nempe iſtud* ἔ *licet in vulgari verſione ſit prorſus Copulativa Conjunctio inter duo Futura* ἡγήσεσθαι ἔ χοινώσεσθαι, *tamen ſi legas utì* B. H. *pro ſuo jure legit ſecundùm varias lectiones, quas nonnulli codices referunt,* ἡγήσεσθαι ἔ βίῳ χοινώσασθαι, *non poteſt itidem ſumi copulativè ſed emphaticè & explanativè duntaxat ; h.e.* etiam vitâ *ſive* ipſâ vitâ me communicâſſe, *quo nomine non indigna ſaltem* Medicina, *vitæ Miniſtra dicam an potius Magiſtra ?*

His ita peractis, tandem intra trimeſtre ſpatium, cùm mitteret dono Academiæ Leidenſi, (*quam & Matrem agnoſcit*) Organon Muſicum, *ſolennioribus comitiis Academicis celebrandis deſtinatum ; arreptâ inde occaſione mittit unà* Diatriben *ſuam, ad explorandum* Profeſſorum *judicium. Illi munus quidem Academiæ collatum gratanter accipiunt, ipſiúſque Venerabilis Viri dignitati ac nomini cum ſummâ lubentiâ favent, & plurimum deferunt ; ſed tamen huic novæ Interpretationi omnino & obnixè refragantur, cenſentes eam fictitiæ* Hypotheſi *inniti ; ſcilicet exiſtimâſſe illum,* Hippocratis *diſcipulos præſtitiſſe hoc jusjurandum non ante depoſitum tyrocinium, cùm contrarius mos obtineret, ut novitii, cùm primùm in diſciplinam ſe traderent, jurarent. Verùm cum doctorum virorum veniâ mirari licet, undenam hoc ex ipſius ſcripto collegerint. Nam cùm ille in duobus primis* articulis *hanc controverſiolam conſiſtere ſtatuat, planè aſſerit in horum* primo *verba exhiberi diſcipuli, nimirum tyronis in diſciplinam ſe tradentis ; in* altero *verba diſcipuli in* didaſcalum *provecti, ſeu potius in didaſcalum aliquando provehendi. Quid quòd ipſi huic objectamento reſpondent ? cùm jurare diſcipulum hoc ſenſu fateantur* de exiſtimatione in qua futurus eſt olim, *cùm artem medicam didicerit ; quod & illi*

vituperant

vituperant factum, tanquam frigidum, obſcurum, & violentum: *cùm pari ratione, eâdemque operâ, omnes aliæ, quotquot ego hiſce oculis uſurpavi, verſiones rejici poſſint, in quibus ſimiliter juratur de* exiſtimatione, *eâque* futurâ; *nempe,* Juro me exiſtimaturum.

Verùm jam ante liquidò oſtendi, quo fundamento, quâ hypotheſi *nitatur nova hæc Venerandi Senis* Interpretatio. *Cujus* Defenſionem *ipſe meditabatur & parabat quidem, intra paucos (ni fallor) ab accepto Reſponſo dies, ſuâ manu perſcriptam, quam tamen conſultius putabat apud ſe aſſervari domi, quàm foras ad Profeſſores tranſmitti: cujus rei rationes luculentas ſanè & ſe dignas in extremâ iſtius ſcriptionis paginâ profert, quas vide ſis.*

Abſolvi hiſtoriam; reliqua leviora ſunt.

Ipſum ὄρκον nudè repræſentamus, abſque Variis Lectionibus, quas habes deſcriptas pag. 18.

Diatribes *hujus exemplar ad me & ad Profeſſores* Leidenſes *tranſmiſſum nonnihil diſcrepare ab eo, quod nunc viſitur, argumento eſt alluſio illa ad* χρησμὸς, *i. e.* Oracula, pag. 21. *& illud de* adſcititiis *præceptoris filiis,* pag. 27.

Id poſtremùm moneo, inſignem locum Epiſtolæ ad Philippenſes, *cap* 2. *commate* 6. *qui huc facit, à me feſtinante prætermiſſum, ubi dicitur Chriſtum ἶσα εἶναι τῷ Θεῷ,* i. e. *in æquali gradu honoris eſſe cum Patre; ex quo arguitur patri* ὁμοούσιος *&* ἰσόλογος, ſcil. ΙΧΘΥΣ, nim. Ἰησοῦς Χριστὸς Θεοῦ Υἱὸς Σωτὴρ, *in quo omine & nomine deſino.* Vale.

A. L.

ERRATA sic Corrige,

PAG. 4. lin. 11. lege *è contrario.* p. 6. l. 31. *fuisse.* p. 11. l. 3. *BALDUINO.* p. 21. l. 10. *id quo eget.* l. 31. *feliciter.* p. 22. l. 4. *VENERABILI.*

VERSIO VULGARIS

Primi & Secundi Articuli in Ὅρκῳ Hippocratico *recognita per* B. H. B. *Filium.*

SIVE

Diatriba Venerabilis Viri, D^ni^ BALDUINI HAMEY, *de Jurejurando Hippocratico, ejúsque vulgari Interpretatione.*

IN veteri Errore, nondum judicato, conjecturis locus est. Tale quid hodiéque patitur, in tribus quatuórve, statim ab initio, vocibus, hoc *divini Senis* Jusjurandum. Ubi, post tot *Interpretes*, mendosus sit oportet Textus *Græcus*, vel *Latinus*, vel uterque: neutro à se invicem non discordante Temporibus; *Aoristis* illo, hoc *Futuris*.

Sed *Græca* facilè emendaveris; secùs *Latina*. Nec est quòd anxiè Alienigenûm dissona excutias, ipso *Hippocrate* Interprete sibi.

Igitur, nè quid hîc, κατὰ δύναμιν καὶ κρίσιν ἐμὴν, in morâ sit diutius; misso hujus Ὅρκου principio, duobus primis, qui negotium hoc facessunt, *Articulis* (dixeris vel *Aphorismis*) paulò attentiùs insistamus.

Horum *primus* ab ἡγήσασθαι incipit, *alter* in ποιήσασθαι desinit; mendosè, puto, uterque pro ἡγήσεσθαι & ποιήσεσθαι: mihi, præter cætera, suffragante fide non unius Manuscri-

pti: Reliqua Verba duo, δὲ, κοινώσασθαι & ποιήσασθαι, quæ, inter modò dicta, media sunt, atque ità in omnibus hodiè exemplis, nullo etiam refragante manuscripto, ad Autoris mentem consonè loquuntur: hæc, sensu omnium huc usque interpretum, convertuntur in *futura*, puta in κοινώσεσθαι & ποιήσεσθαι; cùm tamen hæc duo nullibi sic legantur, nec futura esse possint, sine abrupta *Discipuli* usurpatione, ac ipsius *Hippocratis* non levi injuriâ.

Quippe videbatur olim, *Sacramento* suo, *Dictator* noster huc collimâsse: ut *Discipulus Præceptoris* sui beneficia gratè candidéque profiteretur; ac, ut idem postea, *Didascali* vice fungens, sibi credita traditáque pari honestate impertiat idoneo *Discipulo*: quod λαμπάδα φέρειν καὶ μεταδιδόναι, illo ævo eleganter dicebatur.

Sed hæc clariùs patebunt, ipsis αὐτολεξεὶ recitatis & duobus his, ad captum meum, latinitate donatis *Articulis*. In *primo* horum verba habes *Discipuli*; in altero, Discipuli in *Didascalum* provecti.

Ὄμνυμι,

Ἡγήσεσθαι μὲν, τὸν διδάξαντά με τὴν τεχνὴν ταύτην, ἴσα γενέτησιν ἐμοῖσι, καὶ βίου κοινώσασθαι, καὶ χρεῶν, χρηΐζοντι μετάδοσιν ποιήσασθαι, καὶ τὸ γένος τὸ ἐξ ἑωυτέου, ἀδελφοῖς ἴσον ἐπικρινέειν ἄῤῥεσιν.

Juro,

Æstimaturum quidem me illum, qui me docuit hanc artem, similiter Parentibus meis, vitâ etiam communicâsse me, & desideranti requisita tradidisse: méque insuper, prognatos illo, fratribus pares masculis judicaturum.

Ὄμνυμι,

Καὶ διδάξειν τὴν τεχνὴν ταύτην, ἢν χρηΐζωσι μανθάνειν, ἄνευ μισθοῦ καὶ ξυγγραφῆς. Παραγγελίης τε καὶ ἀκροήσιος καὶ τῆς λοιπῆς ἁπάσης μαθήσιος μετάδοσιν ποιήσεσθαι.

Juro,

Juro,

Docturum etiam hanc Artem, ſi diſcere deſiderant, ſine mercede & ſyngraphâ. Immò Præceptiones ac Narrationes totamque reliquam Diſciplinam traditurum.

Jam conſule reliquos Interpretes. Verùm cùm mihi diſſentire omnes *Interpretes* ſciam; ipſum autem *Hippocratem* idiomate loquentem ſuo, ſentire mecum exiſtimem; audiamus, quæſo, ſine Interprete *Hippocratem.*

Dictum jam ſatis de conſuſa *Indefinitorum* & *Futurorum* Syntaxi in utraque Lingua, ídque aliquantò prolixiùs; ut conſtaret, ſi quid in *Græca* ſit mendi, illud emendari poſſe levi τῦ ά & έ in ſe invicem, *antitheſi*; ac, tantillo obice priùs, ut decet, remoto, confeſtim patere viam ad magis liberalem & *Hippocratis* acumine magis dignum utriuſque *Pericopes* ſenſum, eandémque brevi ſuperatum iri, *Græcis* aliquot vocibus, in tranſitu, penſiculatiùs delibatis.

Sint illa primum Ἴσα & Ἴσον, *ſimiliter* & *ſimile.* Inter quæ, nullum heic redditur diſcrimen, cùm tamen ipſæ voces diverſi ſint generis, diverſúmque ſonent, illarúmq; diverſa ſit notatio apud Græcos Latinóſque.

Nemo dixerit has enunciationes: *Celſum exiſtimo Hippocrati ſimilem*, &, *Celſum exiſtimo Hippocrati ſimiliter*: juxta eſſe integras; quippe poſtrema hæc manifeſtè hiat & deſiderare etiamnum aliquid videtur: nempe *Celſum Hippocrati ſimiliter*, compoſuiſſe ſua, nervosè, eleganter, brevitérve, aut tale quid. Et, hac in re, mihi præit ipſe *Coïs*, qui hîc jurat, *habiturum ſe* Τὸ γένος τῦ διδάξαντος, ἴσον ἀδελφοῖς, *pari loco cum fratribus*: ſed ipſum τὴν διδάξαντα, *Præceptorem ipſum, judicaturum* Ἴσα γενέτησιν, *Parentibus ſimiliter*: Quid? & βίου κοινώσασθαι, & *vitam impertiviſſe*, & τῶν χρεών, &c. Ita, ut *Hippocrates*, vitandi erroris causâ, videatur hæc vocabula, de induſtria mutâſſe; eóq; priùs ἴσα, mox ἴσον ſubjunxiſſe. Certus, τὰ ἴσα, præeunte *Homero*, non niſi Adverbialiter, hoc loco, conſtrui

 poſſe;

posse; Adjectivi verò posse Adverbiique vicem præstare, contra, τὸ ἴσον. Nec sine ratione dixit *similiter*; cùm nullum simile sit simile, sed idem, nisi sit dissimile: si hæc *vita*, qua de loquitur, dissimilis est naturali; siquidem καλῶς vivitur illâ; naturali, ἁπλῶς & ἴσα τοῖς ἀλόγοις.

Sequitur τὸ βίῳ κοινώσασθαι, quod inter Ἴσα & Ἴσον medium est. Hìc, unâ voce Latinè, *Hippocratem*, non de *vita* loqui volunt, sed de *victu*, non περὶ τοῦ βίου, sed περὶ τοῦ βίου: cùm tamen in neutro Articulo, aut vola, aut vocula sit *victúsve* vestigium; sed de *vita*, è contrarióve tota hæc Periodus: Videatúrque *noster* nullibi elegantiori brevitate, aut curâ majori usus, ut rectè intelligeretur. Cùm enim dixisset, τὴν διδάξαντα τὴν τέχνην τοῦτον, *hujus Artis Præceptorem*, Ἴσα γενέτῃσιν, ἐὸν μαθητὴν βίῳ κοινώσασθαι, *Parentibus similiter* naturalibus *vitam* suo *impertivisse* Discipulo; continuò sumptum iri *Artem* pro *Vita*, ac *Præceptorem* pro *Parente*, ac *Discipulum* pro *Filio*, nullus dubitare potuit. Sed, nè sic sua non satis inculcâsse videretur; hanc porrò metaphoram ad *Fratres* usque extendit, ac pro hujusmodi habiturum se, hoc novo Genitore prognatos, sanctè jurat. Non tamen compellando eos, nomine *fratrum suorum*, uti modò dixerat de *Parentibus*, sed ἀδελφῶν ἀῤῥένων; ut novo epitheto pensiculatiùs versato, hujus, de qua sermo est, *vitæ*, hujúsque novæ *Paternitatis* ac Filiationis, difficultas omnis exhauriretur. Nec enim hodie primùm, celebrantur *Præceptores* pro *Parentibus animorum*, vitæque nostræ multò nobilissimæ autoribus. *Philosophi* quidem *naturalis* sanctionibus, Ἡλιος & ἄνθρωπος γεννᾷ τὸν ἄνθρωπον· Sed *Philosophus Moralis*, ab omni ævo, præter *Solem* atque *hominem*, huc porrò accersit consultissimè, Artium liberalium *Professores*, quorum Gymnasia hos pariunt ἀῤῥένας ἀδελφούς. ἄῤῥενας, non *germanos Fratres*, vel *uterinos*; non eodem utero, sed cerebro natos, instar *Palladis*: ac, ut omnes *Socios*, in quovis Collegio, pro hujusmodi, satis aptè habeas:

habeas: ita nullo, quos hodie dicimus *Virtuoſos*, ſignanter magis nomine expreſſeris.

Alterum adhuc ſuperat benevoli *Præceptoris* officium. Nec enim *Hippocrati* videbatur ſatis, Diſcipulum ſuum βίᾳ χοινόξν, *Artémque* adeò *Medicam* nudè docere, & Candidatum ſuum, vitæ hujus novæ ſimpliciter facere participem: Verùm etiam, ſi quid rerum neceſſariarum uſpiam eſſet reclusum, ſibíque vel aliis, longo die, obſervatum, illud etiam eidem χρηίζονλι tradere ἀφθόνως, χρεῶνλε adeò μεταδοσιν ποιέειν, paucis quidem, in genere, verbis, ſed genere mox in partes ſpecificas diducto, intellectu facilibus.

Et hîc obſervetur ſingularis *Dictatoris* noſtri Methodus: juraverat modò *Diſcipulus*, ϯ διδάξανλα ϯ τέχνλω, *Artis Doctorem*, ☪ βίᾳ χοινώσαδαι, fuiſſe unà, *Auctorem vitæ*, ☪ χρεῶν μεταδοσιν ποιήσαδαι, *ac requiſitorum copiam feciſſe*. Nunc verò vice functurus idem *Præceptoris*, animíque *Hippocratis* optimè conſcius, miſſis βίᾳ ☪ χρεῶν vocabulis, in quibus nonnihil erat ambiguitatis, ϯ τέχνλω, pro *vita*, ex ſummi Magiſtri ſententia ſubſtituit, ☪ διδάξειν ταύτην, *ſe hanc docturum eſſe* jurat; certus non errandi in alter-utra ſcribenda; ac, ut ibidem ſubjunxerat magiſtrum ſuum ſibi χρεῶν μεταδοσιν ποιήσαδαι, *neceſſa, riorum copiam feciſſe*; ità nunc viciſſim eorundem μεταδοσιν *facturum*, ποιήσεδαι, jurejurando aſſerit; unáque χρεῶν τέτων numerum (numerum inquam) init; nè quando culpæ ignorantiam obtendendi, vel ineptè interpretandi locus relinqueretur: nimirum facturum μεταδοσιν ϖϖαγγελίης τε ☪ ἀκροήσιος ☪ ϯ λοιπῆς ἀπάσης μαθήσιος· hoc modo utramque vocem expedieris omni difficultate.

Idem, quid nomine χρηίζονλες, in *primo* Articulo ſit intelligendum; abundè per ὃ ἦν χρηίζωσι μανθάνειν, in *ſecundo* explicat, ac, per ὃ μανθάνειν denique, ϯ μάθησιν ſubaudiri; cùm illam, ceu ſummum deſideratum, in χρεῶν cenſu hîc recenſeam. Ita ut tandem concludamus, *Artis*

Medica

Medicæ rite docendæ discendæque *desiderium*, unicum esse utriusque Articuli argumentum, & ne unum in iis, de *Victu* eóque pertinentibus reperiri posse vocabulum, totamque adeo hujusmodi, nimis crassam esse interpretationem & δὶς διὰ πασῶν, *Hippocratis* verbis moribusque dissonam, nec nisi unâ liturâ, quod sciam, corrigendam.

Non nemo interim arbitretur, ut vera fateantur quæ dixi, tanti tamen non esse, ut iis seorsim tantum chartæ ac atramenti insumerem; nec pauca esse in paginâ *Hippocratis*, in quæ consultius fuisset, ac utilius, partiri hunc laborem. Esto. Ego certè hanc *Spartam* partemve casu nactus, pro virili, ornandam censui. Alius aliam, per me, eligat & suam quisque ornare allaboret. Mihi impræsentiarum satis erit, primam paginam occupâsse eamque divinam; &, quæ,

——— Tanto conspectius in se
Crimen habet, quanto prior est, quæ peccat.

Nimirum, de *jurejurando* res est, quæ ab omni memoriâ sacra; & hoc porrò illiusmodi, ut quivis *Græcè* sciens juransque illud jure pium æstimet; contra *Græcè* sciens & *Latinè* jurans, non tamen idem censeat, affine esse perjurio: quali eluendæ hinc maculæ, dudum opus fuisse manu alicujus grati discipuli; nemo, reor, negaverit.

Sed & alia non levis ratio, *vulgarem* hanc *versionem* erroris arguit; quòd illa nimis sui dissimilem *Autorem*, ipsosque inter se reddat *Interpretes*. Hi fatentur passim, fuisse illum, in omni scripto, *Aphoristicum*, elegantem ac simplicem: hic tamen in re βίου & χρεῶν, in loco adeò alieno, usum volunt voce ambiguâ, ac tacite insimulant *tautologiæ*. Fatentur quidem, hoc ipso loco, sine mercede docuisse: ac alibi toties fuisse sponte naturæ ἀφιλάργυρον, magnanimum & ἀμετάπλωτον ac omnis fallaciæ hostem acerrimum: Reges N. B. ipsum tantùm non veneratos esse, Populumque *Athenienſium*, ob summa merita,

Σίτησιν

Σίπωνι ipſi & ſuis publicè in *Prytanéo* decreviſſe; immò ipſum dixiſſe, ſe nullâ non frui rerum copiâ.

Quem jam cordatum diſcipulum non pigeat, tantis, nulla de cauſa, honoribus, *Præceptorem* ſuum excidiſſe? Eumque, qui in *Græcia* ſemper ordinis ſui primus, illum ab annis plus minùs centum, tantum non, in *Latio*, videre, præ eſuritionis metu, abjectè olim ſuiſſe callidum: ut Candidatos ſuos nedum *ſacramento*, verum etiam *Syngraphâ* obſtringeret ad ſibi aliquando, inediâ laboraturo, ſuccurrendum: N. B. bonos juvenes, uno modo, Diis obnoxios; alio eoſdem incautos ſatis, hominibus, in promptas magis pœnas, ſi fallerent, reddendo. Heu, *quantum mutatus ab illo*! Sanè operæ pretium erat, è *Græcia* tanti emolumenti cauſsâ, in *Latium* migrâſſe, & pro diſcipulorum qualicunque menſa *Prytanéum* lautum reliquiſſe; atque ibi ſedulò ARTI LONGÆ incumbere, ut ſemper BREVI VICTUI accumbatur; ac ſeros nepotes, hoc modo, docuiſſe, quid hodie demum per τὸ Ὁ βίος βραχὺς, ἡ δὲ τέχνη μακρὴ, ſit intelligendum.

Sed deſino, rogoque, ut calamo meo, nonnihil forſan privatim, inter paucos, ſub finem, liberiori, patrocinetur affectus meus in communem noſtrum *Parentem* optimúmque *Præceptorem*; & ut, quidquid uſpiam eſt Ἀδελφῶν ἀῤῥένων, mihi, hoc nomine, ignoſcant.

Domi meæ, in agro *Chelſenſi*;
ſub initium Anni Septuageſimi
Quarti, ſupra Seſquimilleſimum
Centeſimum.

Epiſt.

Epiſtola Viri Clariſſimi, Domini Caſparis Nedham, M. D. è Collegio Medicorum Londinenſi, *Honoratiſſimo Viro Domino D^r* HAMEY, S.

ITA eſt profectò, *Vir Ampliſſime*; liberâſti *Hippocratem* gravi calumniâ, adeóque, non *Collegii* duntaxat *noſtri* (jure dixerim *veſtri*) verùm & *Præceptoris* Soſpitator audis meritiſſimé

Salve igitur, *Venerande Senex*, *Hippocrate ſalvo*! Ἀιεὶ μεμάσκεις πολλὰ διδασκόμενος, dicam, an διδάσκων potius? Et *Salve*, bona *Critica*, ſcriptorum ægrotantium medicatrix, mutilorum redintegratrix! Ne verò pluribus moleſtior ſiem viro optimo, conventu ſerò nimis, facie licet famáque mihi diu notiſſimo: Jam redit ad Te, pretioſum, quod liberaliter mihi concredidiſti, depoſitum; Tibíque gratias refero, quàm queo reddere, maximas, omnia fauſta feliciáque precans vovénſque,

Servus Tuus addictiſſimus & humillimus

Lond. Mar. 27. 1674.

CASP. NEDHAM.

EPIST-

Epiſtola Reverendi admodum Viri,

Domini JOHANNIS PEARSON,

Epiſcopi Ceſtrienſis.

† *Cujus Initium videtur deeſſe, quòd ne quidem ulla ſit Compellatio.*

PRima quæ occurrit in hoc *Juramento* particula ἐς, omnis in exponendo difficultatis ocaſionem præbuiſſe videtur. Dum enim illa præponitur τῷ βίᾳ κοινώσασθαι, priorem *pericopen* ſenſum continere integrum putârunt *Interpretes*, & ὃ, βίᾳ κοινώσεσθαι pro ſecunda Juramenti parte habuerunt. Quòd ſi ἐς præponeretur τῷ γενέτησι elegantiæ tantùm causâ, & poſt ἐμοῖσιν eximeretur, rectà βίᾳ κοινώσασθαι conjunctione deſtituta neceſſariò ad priora ſpectarent; nec partem juramenti per ſe efficere poſſent. Jam verò particulam ἐς ſuo loco dimotam, & malè τῷ βίᾳ præfixam eſſe omnino ſentio: eandem ritè τῷ γενέτησι, γονεῦσιν, ἢ Συγγενέσιν. Sunt enim hæc excerpta nihil aliud quàm veteres *Gloſſæ*, ad marginem *Hippocratis* primùm ſcriptæ, atque indè cum Textu, quem reſpiciunt, ad finem Juramenti, utì moris erat, ſimul poſitæ. Unde liquidò apparet vetuſtiſſimos codices hanc lectionem [Ἴσα ἐς γενέτησιν ἐμοῖσιν] exhibuiſſe, & βίᾳ κοινώσασθαι immediatè poſt ἐμοῖσιν ſequutum eſſe. Sic igitur rectà lego & interpretor, Ὄμνυμι, Ἡγήσεσθαι μὲν τὸν διδάξαντά με τὴν τεχνὴν ταύτην ἴσα καὶ γενέτησιν ἐμοῖσιν βίᾳ κοινώσασθαι, *Juro, me eum qui me hanc Artem docuit non minùs quàm Parentes meos vitam tribuiſſe putaturum.* Hæc tuo acumini debeo: reliqua cum vulgo interpretum capio. Noſtram ſententiam habes,

Vir doctiſſime, mihique amiciſſime. Donet te Deus longâ ætate, vegetâ & à cruciatibus liberâ ſenectute, utì optat ac precatur,

Multis Nominibus tibi devinctus,

April 10. 1674.

JOHANNES Ceſtrienſis.

Ejuſdem Carmen Encomiaſticum.

QUI Divo *Lucæ* ſumptus; operámque locâſti
Hippocrati: Medico commodè utrique facis.
Tempus edax ripâ *Divi* conſumpſerat Ædem
Chelſenſi: adveniens Tu dare promptus opem.
Et *Coï*, in Latio, ſacrum maculaverat Ὄρκον
Non conſulta ſatis *Græco-Latina* manus.
Huic quoque ſuccurris; *Fideique Artiſque Magiſtris*
Nil, Te Diſcipulo, vis periiſſe tuis.
Ergo, quid es meritus? *Medicorum* nomina tanta
Inter, habere tuum, dignior unus eris.

J. Ceſt.

Epiſt.

Epiſtola prior Adami Littleton, S. T. P. *Rectoris ſive Eccleſiaſtæ de* Chelſey.

Venerabili Viro D^no D^ri BALDUINI HAMEY, *Pateant.*

Venerande Domine, Optime Senex!

QUum obſequii gratiam mora corrumpat, videor mihi nullum excuſationis locum apud te reliquiſſe, niſi quem mira illa humanitas tua, qua me devinctum tenes, fecerit. Sanè cùm adeſſem *Chelſeiæ*, prælà, quibus aſſiduè inſudabam, quatuor obſtitere, quò minùs mandata tua confeſtim peragerem. Poſtquam hîc adſum, officium me Aulicum, ſimul & gravedo capitis ex algore, hactenus diſtinuit. Quòd ſi nihil horum eſſet, ipſa illa mirifica humanitas tua, quam lubens commemoro, magnum veniæ argumentum ſuppeditat; quippe quæ, cumulatiſſima cùm ſit, effecerit, ut habendis gratiis, nedum referendis, impar omnino evadam. Quantum illud, quòd ſtudiorum tuorum amœnitates, *noctéſque* verè *Atticas* mecum communicare non graveris, qui non modò *Medicinæ Princeps*, ſed & omnigenæ *Literaturæ Coryphæus* audis? Habeam mihi *muſas* omnes infenſas, ſi non ingentis beneficii loco deputem, ἀδελφοῖς ἄρρεσιν accenſeri. Quid referam literas mellitiſſimas, *Neſtoreâ* facundiâ refertas & tui plenas; candidas, facetas, eruditas? Quid, quod nec hoc ſatìs eſſe putâris, niſi etiam inſigni donario comitatæ venirent, *Lychnucho* ſcil. *argenteo*? quem ego majoris æſtimo, quàm *Epicteti lampadem* Græculi. Etiam augere pretium benignitatis tuæ voluiſti, qui non *mediaſtino* hæc, ſed homini dilectiſſimo, *Nepoti* tuo commiſeris, mihi in

Vir doctiſſime, mihique amiciſſime. Donet te Deus longâ ætate, vegetâ & à cruciatibus liberâ ſenectute, utì optat ac precatur,

Multis Nominibus tibi devinctus,

April 10. 1674.

JOHANNES Ceſtrienſis.

Ejuſdem Carmen Encomiaſticum.

QUI Divo *Lucæ* ſumptus; operámque locâſti
Hippocrati: Medico commodè utrique facis.
Tempus edax ripâ *Divi* conſumpſerat Ædem
Chelſenſi: adveniens Tu dare promptus opem.
Et *Coï*, in Latio, ſacrum maculaverat [a]Ὄρκον
Non conſulta ſatis *Græco-Latina* manus.
Huic quoque ſuccurris; *Fide*ique *Artí*ſque *Magiſtris*
Nil, Te Diſcipulo, vis periiſſe tuis.
Ergo, quid es meritus? *Medicorum* nomina tanta
Inter, habere tuum, dignior unus eris.

J. Ceſt.

Epiſtola prior Adami Littleton, S. T. P. *Rectoris ſive Eccleſiaſtæ de* Chelſey.

Venerabili Viro Dno Dri BALDUINI HAMEY, *Pateant.*

Venerande Domine, Optime Senex!

QUum obſequii gratiam mora corrumpat, videor mihi nullum excuſationis locum apud te reliquiſſe, niſi quem mira illa humanitas tua, qua me devinctum tenes, fecerit. Sanè cùm adeſſem *Chelſeiæ*, prælo, quibus aſſiduè inſudabam, quatuor obſtitere, quò minùs mandata tua confeſtim peragerem. Poſtquam hîc adſum, officium me Aulicum, ſimul & gravedo capitis ex algore, hactenus diſtinuit. Quòd ſi nihil horum eſſet, ipſa illa mirifica humanitas tua, quam lubens commemoro, magnum veniæ argumentum ſuppeditat; quippe quæ, cumulatiſſima cùm ſit, effecerit, ut habendis gratiis, nedum referendis, impar omnino evadam. Quantum illud, quòd ſtudiorum tuorum amœnitates, *noctéſque* verè *Atticas* mecum communicare non graveris, qui non modò *Medicinæ Princeps*, ſed & omnigenæ *Literaturæ Coryphæus* audis? Habeam mihi *muſas* omnes infenſas, ſi non ingentis beneficii loco deputem, ἀδελφοῖς ἄρρεσιν accenſeri. Quid referam literas mellitiſſimas, *Neſtoreâ* facundiâ refertas & tui plenas; candidas, facetas, eruditas? Quid, quod nec hoc ſatis eſſe putâris, niſi etiam inſigni donario comitatæ venirent, *Lychnucho* ſcil. *argenteo*? quem ego majoris æſtimo, quàm *Epicteti lampadem* Græculi. Etiam augere pretium benignitatis tuæ voluiſti, qui non *mediaſtino* hæc, ſed homini dilectiſſimo, *Nepoti* tuo commiſeris, mihi in

manus tradenda. Mirúmne id eſt, ſi hæc tua munificentia perculerit mihi animum, & ſilentium tantiſper indixerit? Pro quibus ego beneficiis ingratus ſim, ſi non aliquando lucubratiſſimas gratias reponam. Quod ad *Hippocratem* tuum attinet, expecta, te obteſtor, *Vir digniſſime*, tridui, vel quatridui moram; habebis reſponſum

Scribebam raptim Viſi-Monaſterii, viii. Eid. *Mart.* 1673.

Humillimi Clientis tui,

& Studioſiſſimi Cultoris,

ADAMI LITTLETON.

Ejuſdem ADAMI *altera Epiſtola ad eundem Venerabilem Virum.*

QUanquam me, *Venerande Vir*, liberali, quod aiunt, manu aſſerueris, tuúmque feceris, & tam arcto nexu munificentiæ & humanitatis tuæ obſtrictum teneas, ut mei ampliùs juris non ſim cenſendus, præſertim in iis rebus, quæcunque tandem eæ fuerint, in quibus meum erga te obſequium quoquo modo probari poterit; tamen cùm tè cognôrim non minus eſſe φιλαλήθη, quàm es πολυμαθέσατον, & verò liceat vel *Diſcipulo*, abſq; ulla ingratitudinis nota, à *Magiſtri* ſententia, ex veritatis ſtudio, ſicubi res poſtulat, diſcedere: ſtatui apud me jam tum, cùm hanc provinciam mihi primùm imponeres, ſepoſitâ omni gratiâ, *veritati*, non *amicitiæ*, in hoc negotio *litare*, eíque unicè conſulere, atque adeò profiteri, quod *Medicinæ Dictator*, quod *Medicus Phil-Evangelicus* ante me fecerunt

cerunt, me κατ' δύναμιν & κρίσιν ἐμὴν partes meas, te jubente, ſtrictim executurum; ídque magis ζητητικῶς, quod eſt diſcentium & dubitantium, quàm δογματικῶς, quod eſt docentium pro auctoritate magiſtrali, quæ mihi, hiſce ſacris ἀμυήτῳ, minimè gentium competeret.

§. I. Conſtat igitur cumprimis, hoc ſaltem tibi cum reliquis *Interpretibus* convenire; nempe, in hoc *Articulo primo* Jurisjurandi *Hippocratici* præſcribi rationem ac formam gratitudinis, quam Medicorum filii Præceptoribus ſuis, à quibus hanc divinam artem edocti fuerint, præſtare, *conceptis verbis*, tenentur. At enim cæteri, à quibus in diverſum abis, à te pro tua eruditione & ἀγχινοίᾳ, quâ utráque polles, aberrâſſe à ſenſu & conſilio *Magni Auctoris*, ſimul & à recta *Græcanici Textûs* interpretatione, idoneis ſanè rationibus coarguuntur.

§. II. Quamobrem duo hîc agam, neceſſe eſt. *Primò* diſpiciam rem ipſam, qua de hîc agitur. *Deinde* verba, phraſes & voculas expendam. Et in re quidem ipſa duo conſideranda veniunt.

1. Uter ſenſus magis ſit accommodatus ad gratitudinem diſcipulorum teſtatam faciendam erga Præceptores; illéne à vulgo interpretum hactenus receptus, an qui abs te, cum nullo niſi *novitatis* præjudicio, cujus tamen aliqua gratia eſt, recens invectus?

2. Utra Interpretatio, tuáne, an iſta aliorum, magis congruat & quadret genio *Hippocratéo*; animo, inquam, & moribus *divini ſenis*?

§. III. Ad *primam Quæſtionem*; utroque ſenſu *Parentum* loco habentur *Præceptores*: id quod grato animo recolunt utrinque *Diſcipuli*: & hactenus ritè proceditur. Verùm meritò dubitari poteſt; ſatíſne gratum ſe præſti-

terit

terit *Parenti* Filius, *Præceptori* Discipulus, qui nudis verbis *vitam* ei, vel, quæ præstantior quodammodò vitâ ipsâ est, *Artem Medicam* acceptam referat, atque omnia *subsidia* & *adjumenta* ad eam *Vitam* vel *Artem* excolendam ab eo (*Parente* scilicet vel *Præceptore*) sibi tradita agnoscat? Annon potiùs ille *gratus* dicendus sit, qui factis & officiis se, quod ex jure quodam naturæ filii parentibus debent, beneficium illud ingens, quod à præceptore accepit, aliquando pensaturum, ubi fuerit opus, sanctissimè pollicetur? quod cùm filii facerent parentibus, ἀνὴκ πελαργεῖν & θρεπτήρια solvere, uti *Meibomius* annotat, dicebantur: quod & discipuli complures, quorum ille aliquot adducit exempla, factitârunt.

§. IV. Paulò distinctiùs rem explicabo, Majorísne *gratitudinis* est beneficium acceptum commemorare, an, quà licet, pensare? gratiúsne illud officium, quod verbis solennibus duntaxat concipitur, an quod benefactis etiam, ut par est, ostenditur? Cùm *verba* vel ingratissimi usurpare possint, (quis enim tam odiosè ingratus, ut manifesta negare ausit?) *facta* autem non nisi in gratos cadant. Sunt & alia in hac re dubia, quæ non verebor coram te, Vir nullius humanitatis expers, proferre. Annon illud duriusculum est (sit venia verbo) *Artem medendi*, quam hauserit à Præceptore discipulus, *vitam* metaphoricé appellari? πρᾶκλησιν porrò & ἀκρόασιν reliquámque μάθησιν medicam χρεὼ, sive *necessaria* ad vitam vocari? in *juramento* præsertim, ubi omnia planè & apertè proponi, nihil tralatitio sensu dici oportuit. Deinde & illud quæri potest, an satis tutò & liquidò in hæc verba (prout à te intellecta) jurari possit à quibusvis *discipulis*? qui si negligentem, aut inscium, aut etiam invidum *Magistrum* nacti sint, quomodò jurabunt sibi ab illo suppeditata omnia ad præclaram Artem necessaria? Quum è contra ea sit *Præceptoris* Sanctitas, utut defuerit docendi officio, ut honor ei

à

à discipulis, vel eo nomine, exhibendus sit, atque adeò (qui honos *parentibus* quamvis incuriosis debetur) alimenta etiam præstanda χρηίζοντι, *h. e. indigenti.*

§. V. In *altera*, quam discutiendam proposui, *quæstione*; ut verum fatear, nemo quisquam est ingenuus, qui non primo intuitu tecum sentiat. Parùm quippe consuluerit *Medicorum Princeps* vel suo, vel Artis suæ honori, si de *victu & vestitu* solicitus, cum discipulis *juramento* adactis, egerit ex *Syngrapha*. At qualis demum vir? quem tota *Græcia* stupebat; quem omnes plusquam hominem mirabantur; quem etiam extranei præfecti demereri frustra conabantur. Isne ut sibi ex pacto turpíque sponsione de mercedula, vel, quod etiam est aliquanto sordidius, de alimentis caveret? Qui, cùm esset ἀφιλάργυρος, etiam gratis doceret; cui ob eximia in rempublicam merita honores divini mortuo decreti, & viventi adhuc Σίτησις publicitus constituta. Nihil poterat esse magis alienum à tanti Herois ingenio, quàm hujusmodi opprobrio famam suam & existimationem contaminare apud posteros.

Video & agnosco Triumphos tuos, *Venerande Interpres*, qui *Hippocratis* tui verba ex *Hippocratis* animo intelligi postulas. Video *Coüm Numen*, non sine ἀδελφῶν ἀρρένων plausu, sellâ curuli vectum, tua opera salvum & incolumem in sublimi collocari, ultra terrenas curas. Sentio adversam partem ruere & profligatam concidere, cæterósqs, quotquot sunt, ἐξηγηλὰς tibi ultrò herbam porrigere. Enimverò si *Hippocrates* hæc ex suapte persona dictitâsse, in suum unius commodum intentus, dicatur; propudium istud ac monstrum Interpretationis erat prorsus amoliendum; tuæque omnino sententiæ & te & illo (quantis viris!) dignæ, erit deinceps standum. Quare penitiùs introspicienda res, ne honori *Asclepiadarum* (qualitercunque intellectis verbis) deesse officium nostrum videatur.

§. VI.

§. VI. Illud imprimis rogo; Annon eſt omnino credibile *Hippocratem* ipſum (ut ut Medicorum Principem) habuiſſe *Magiſtrum*, à quo hauriret nobilis ſcientiæ elementa & præcepta? Id ſi eſſet, ut credi par eſt, an dedecet hunc tantum virum *magiſtro* ſuo, quo non minùs opibus quàm ſcientia ſuperior evaſerat, gratitudinem præſtare; etiam in exhibendis, ſi opus eſſet, alimentis, cæteríſque ad vitam neceſſariis? An quod illum non dedecebat facere erga ſuum Præceptorem, idem non deceret quoſvis alios diſcipulos erga ſuos itidem Præceptores factitare, aut facturos profiteri, ſi opus ſit? Id deinde quæro; an aliis duntaxat hanc jurandi formulam præſcripſit, ut ipſe immunis eſſet? An potiùs ipſemet viam præivit in eadem verba jurans, quò exemplo ſuo aliis oſtenderet, quâ reverentiâ, quà gratitudine, omnes Medicinæ alumni ſuos Præceptores, à quibus edocti fuerint, proſequi deberent? Nam ideò profecto mihi videtur Ἱπποκράτης ὅρκον dici, non ſolùm quòd ille Auctor hujus jurisjurandi extiterit, ſed etiam quòd ipſe eadem verba uſurpârit. Itáque hoc nihil facit contrà magni viri dignitatem, ſi, cùm famâ & opibus polleret, jurâret ſe *Magiſtrum* ſuum, veluti *Parentem* ſenio confectum, ut pius filius ſolet, quâvis ope ſublevaturum, præſertim in tenuiore fortuna, ut ſæpè ſæpiùs evenit, conſtitutum. Neque verò quod ſummo viro erat, vel maximè dignum, id diſcipulis ejus erat indignum futurum, aut ipſi indecorum, ut pari officio eum illi complecterentur, quo ipſe ſuum Præceptorem complexus eſt, animumque ſuum, ſi ita ſors ferret, eadem faciendi, eadem jurando teſtatum facerent.

§. VII. Porrò quæri poteſt, undenam *Hippocrati* obtigerit ea opum abundantia, ut deſpicere deberet officia ſuorum? Nam de patrimonio & opibus avitis, quantum ego intelligo, ſilet hiſtoria. An igitur docendi & medendi mercedes

mercedes accepit? quod & usu receptum, nec erat inhonestum. Certè salarium publicum accepisse vel illa *σίτησις* argumento est. Jam si licuit, fortuna atque ætate florente, *mercedem* (operæ dico, non scientiæ, quæ est inæstimabilis) accipere; quô minus liceret sibi ætatis vergentis & fortunæ labantis (quoniam in incerto sunt res mortalium) subsidia per sanctam quandam sponsionem certa reddere? Verùm ut hoc ultrò largiamur, *Hippocrati* bonam fortunam perennâsse ad extremam senectutem, atque adeò illum nunquam indiguisse discipulorum ope aut operâ; an id sperandum erat, ut contingeret eadem beata sors omnibus aliis eandem Artem tractantibus, quo minùs iis cautum esset adversus fortunæ inconstantiam & rerum humanarum vices? Annon potiùs hoc erat summopere pium & nobili Arti decorum, ut ejus *Professores* Alumni quemque sui, veluti conjurati, pro viribus ab ignobili inopia tuerentur? Immò, annon hoc ipsum maximè decuit *Medicinæ Dictatorem*, ut, quanquam sui securus esset, tamen aliis consuleret, qui in iisdem castris infeliciter militarent? Quod & à D. *Paulo* factum, qui, cùm ipse nihil mercedis accipere vellet, nè sese obnoxium redderet, obnixè tamen suadet liberalitatem erga cæteros quosvis Evangelii Ministros. Inter *Patronum* quidem & *Beneficiarium*, alia intercedit necessitudo: Verùm & *Ille*, cùm utendum det alteri, quo ipse uti non potest, nihil dat cum suo damno, aut dispendio; & *hunc* eadem gratitudinis lex constringit. Est illud denique tam certum, quàm quod est certissimum, non de solo *Hippocrate* heic agi, nec in illius unius persona contineri hoc sacrosanctum pactum, sed ejus beneficium longè latèque ad quosvis Medicæ facultatis *Professores* permanare: ut hoc *jusjurandum* ille non suâ solius gratiâ, qui non indigeret, sed aliorum potissimùm causâ, si quando egerent, scripserit, dictârit: quò & ipsos & Artem suam à contemptu & paupertate, honesta gratitudinis ratione, vindicaret.

§. VI. Illud imprimis rogo; Annon eſt omnino credibile *Hippocratem* ipſum (ut ut Medicorum Principem) habuiſſe *Magiſtrum*, à quo hauriret nobilis ſcientiæ elementa & præcepta? Id ſi eſſet, ut credi par eſt, an decet hunc tantum virum *magiſtro* ſuo, quo non minùs opibus quàm ſcientia ſuperior evaſerat, gratitudinem præſtare; etiam in exhibendis, ſi opus eſſet, alimentis, cæteríſque ad vitam neceſſariis? An quod illum non dedecebat facere erga ſuum Præceptorem, idem non deceret quoſvis alios diſcipulos erga ſuos itidem Præceptores factitare, aut facturos profiteri, ſi opus ſit? Id deinde quæro; an aliis duntaxat hanc jurandi formulam præſcripſit, ut ipſe immunis eſſet? An potiùs ipſemet viam præivit in eadem verba jurans, quò exemplo ſuo aliis oſtenderet, quâ reverentiâ, quà gratitudine, omnes Medicinæ alumni ſuos Præceptores, à quibus edocti fuerint, proſequi deberent? Nam ideò profecto mihi videtur Ἱπποκράτης ὅρκον dici, non ſolùm quòd ille Auctor hujus jurisjurandi extiterit, ſed etiam quòd ipſe eadem verba uſurpârit. Itáque hoc nihil facit contrà magni viri dignitatem, ſi, cùm famâ & opibus polleret, jurâret ſe *Magiſtrum* ſuum, veluti *Parentem* ſenio confectum, ut pius filius ſolet, quâvis ope ſublevaturum, præſertim in tenuiore fortuna, ut ſæpè ſæpiùs evenit, conſtitutum. Neque verò quod ſummo viro erat, vel maximè dignum, id diſcipulis ejus erat indignum futurum, aut ipſi indecorum, ut pari officio eum illi complecterentur, quo ipſe ſuum Præceptorem complexus eſt, animumque ſuum, ſi ita ſors ferret, eadem faciendi, eadem jurando teſtatum facerent.

§. VII. Porrò quæri poteſt, undenam *Hippocrati* obtigerit ea opum abundantia, ut deſpicere deberet officia ſuorum? Nam de patrimonio & opibus avitis, quantum ego intelligo, ſilet hiſtoria. An igitur docendi & medendi

mercedes

mercedes accepit? quod & usu receptum, nec erat inhonestum. Certè salarium publicum accepisse vel illa *cimonis* argumento est. Jam si licuit, fortuna atque ætate florente, *mercedem* (operæ dico, non scientiæ, quæ est inæstimabilis) accipere; quô minus liceret sibi ætatis vergentis & fortunæ labantis (quoniam in incerto sunt res mortalium) subsidia per sanctam quandam sponsionem certa reddere? Verùm ut hoc ultrò largiamur, *Hippocrati* bonam fortunam perennâsse ad extremam senectutem, atque adeò illum nunquam indiguisse discipulorum ope aut operâ; an id sperandum erat, ut contingeret eadem beata sors omnibus aliis eandem Artem tractantibus, quo minùs iis cautum esset adversus fortunæ inconstantiam & rerum humanarum vices? Annon potiùs hoc erat summopere pium & nobili Arti decorum, ut ejus *Professores* Alumni quemque sui, veluti conjurati, pro viribus ab ignobili inopia tuerentur? Immò, annon hoc ipsum maximè decuit *Medicinæ Dictatorem*, ut, quanquam sui securus esset, tamen aliis consuleret, qui in iisdem castris infeliciter militarent? Quod & à D. *Paulo* factum, qui, cùm ipse nihil mercedis accipere vellet, nè sese obnoxium redderet, obnixè tamen suadet liberalitatem erga cæteros quosvis Evangelii Ministros. Inter *Patronum* quidem & *Beneficiarium*, alia intercedit necessitudo: Verùm & *Ille*, cùm utendum det alteri, quo ipse uti non potest, nihil dat cum suo damno, aut dispendio; & *hunc* eadem gratitudinis lex constringit. Est illud denique tam certum, quàm quod est certissimum, non de solo *Hippocrate* heic agi, nec in illius unius persona contineri hoc sacrosanctum pactum, sed ejus beneficium longè latèque ad quosvis Medicæ facultatis *Professores* permanare: ut hoc *jusjurandum* ille non suâ solius gratiâ, qui non indigeret, sed aliorum potissimùm causâ, si quando egerent, scripserit, dictârit: quò & ipsos & Artem suam à contemptu & paupertate, honesta gratitudinis ratione, vindicaret.

§. VIII. Excussimus hactenus *mentem* scripti & scriptoris *consilium*. Restat jam ut ipsa *verba* expendamus, unde ambigui sensûs & variantis sententiæ materia petitur.

Textus Græcus; prout vulgo legitur. *Variæ Lectiones.*

Ὄμνυμι [a] ἡγήσασθαι μὲν τὸν διδάξαντά με τὴν τέχνην ταύτην [b] ἴσα γενέτησιν ἐμοῖσιν, καὶ βίου [c] κοινώσασθαι. καὶ χρεῶν χρηΐζοντι μετάδοσιν [d] ποιήσασθαι καὶ τὸ γένος τὸ ἐξ ἑωυτέου ἀδελφοῖς ἴσον [e] ἐπικρίνειν ἄῤῥεσι. καὶ διδάξειν τὴν τέχνην ταύτην, [f] ἢν χρηΐζωσι μανθάνειν, ἄνευ μισθοῦ καὶ ξυγγραφῆς.

[g] Παραγγελίης τε καὶ ἀκροήσιος καὶ τῆς λοιπῆς ἁπάσης μαθήσιος μετάδοσιν [h] ποιήσασθαι υἱοῖσί τε ἐμοῖσι, καὶ τοῖσι τοῦ ἐμὲ διδάξαντος, κλ.

[a] al. ἡγήσεσθαι.
[b] al. ἶσα καὶ.
[c] al. κοινώσεσθαι.
[d] al. ποιήσεσθαι.
[e] al. ἐπικρινέειν.
[f] al. ἢν.
[g] al. παρακλήσιος.
[h] al. ποιήσεσθαι.

Tralatio VERBORUM Recepta;

Prout Eam *MEIBOMIUS* exhibet.

Præceptorem quidem, qui me edocuit, Parentum loco habiturum, eíque alimenta impertiturum, & ad usum necessaria subministraturum; ejúsque posteros pro germanis fratribus reputaturum: eosdem insuper, [vel ut *Ranchinus* vertit,— *eíque cùm ad victum, tum etiam ad usum necessaria,* grato animo communicaturum & *suppeditaturum, ejúsque posteros eodem apud me, quo germanos fratres, loco fore, eósque*] *si hanc Artem addiscere volent, absque mercede & syngrapha edocturum. Præceptionum quoque & auditionum totiúsque reliquæ disciplinæ, cùm meos & ejus, qui me edocuit, liberos participes facturum.*

Nova Venerabilis Viri *B. H.* Interpretatio.

Juro, æstimaturum quidem me illum, qui me docuit hanc Artem, similiter parentibus meis, etiam vitâ communicâsse me

me, & desideranti requisita tradidisse: méque insuper fratribus pares masculis prognatos illo judicaturum. Hancque Artem docturum, si discere desiderent, sine mercede & syngrapha. Et quicquid est præceptionis ac narrationis totámque reliquam disciplinam traditurum.

§. IX. Ambigitur primùm de *Aoristis*, quos Latinè per *Futura* efferunt Interpretes alii, tanquam confusâ & parùm accuratè redditâ ratione temporum. Est sanè *Aoristus*, affirmantibus omnibus Grammaticis, quod & nomen indicat, *Tempus* incertæ & *indefinitæ significationis*: ut & pro triplici *Præterito* sumatur, & nonnunquam pro *futuro*, unde originem traxit, & interdum pro *præsenti* ponatur. Verùm id si peccatum sit, habent quo se excusent ex *varia lectione*, quam tu pariter, *Ornatissime Vir*, usurpas in tribus saltem verbis, ἡγήσεσθαι, ὑπηρετήσειν, & ποιήσεσθαι. Quare quod tu tibi licere voluisti in istis tribus, non video cur idem illis non licuerit in reliquis, astipulante eâdem exemplarium fide. Et profectò, ni fallor, vel ipsa varia lectio satis probat *Aoristos* pro Futuris indifferenter poni: quippe quæ Futura pro Aoristis constanter reponat. Nec erit illud, fortean abs re adnotâsse; utráque sive *Futura*, sive *Aoristos*, in modo *Infinito* non incommodè migrare in significationem *Præsentis*, cùm latinè redduntur. Nam cùm sit *Juramentum Promissorium*, perinde est, dicat quis, *Promitto facere*, vel *Promitto me facturum*; quum ille Accusativus [*me*] Græcè desideretur: quod si reddas Anglicè magis parebit. **I promise upon Oath to honour my Master as a Parent, to maintain him, if need be, and to supply his Wants,** &c. Id ideò dico, quia, ut obiter moneam, cur malis ἡγήσεσθαι quàm ἡγεῖσθαι, mihi non satis liquet.

§. X. Inter ἴσα & ἴσον esse nonnihil differentiæ fatendum est: quippe illud *Adverbium*, hoc *Adjectivum*, quod tamen quandóque ponitur *Adverbialiter*, ut ἴσον φαείνει φιλεῖν,

§. VIII. Excussimus hactenus *mentem* scripti & scriptoris *consilium*. Restat jam ut ipsa *verba* expendamus, unde ambigui sensûs & variantis sententiæ materia petitur.

Textus Græcus, prout vulgo legitur. *Variæ Lectiones.*

Ὄμνυμι [a] ἡγήσασθαι μὲν τὸν διδάξαντά με τὴν τέχνην ταύτην [b] ἴσα γενέτησιν ἐμοῖσιν, καὶ βίου [c] κοινώσασθαι. καὶ χρεῶν χρηΐζοντι μετάδοσιν [d] ποιήσασθαι καὶ τὸ γένος τὸ ἐξ ἑωυτέου ἀδελφοῖς ἴσον [e] ἐπικρίνειν ἄῤῥεσι. καὶ διδάξειν τὴν τέχνην ταύτην, [f] ἢν χρηΐζωσι μανθάνειν, ἄνευ μισθοῦ καὶ ξυγγραφῆς.

[g] Παραγγελίης τε καὶ ἀκροήσιος καὶ τῆς λοιπῆς ἁπάσης μαθήσιος μετάδοσιν [h] ποιήσασθαι υἱοῖσί τε ἐμοῖσι, καὶ τοῖσι τοῦ ἐμὲ διδάξαντος, κλ.

[a] al. ἡγήσεσθαι.
[b] al. ἶσα καὶ.
[c] al. κοινώσεσθαι.
[d] al. ποιήσεσθαι.
[e] al. ἐπικρινέειν.
[f] al. ἢν.
[g] al. παρακλήσιος.
[h] al. ποιήσεσθαι.

Tralatio VERBORUM Recepta;

Prout Eam *MEIBOMIUS* exhibet.

Præceptorem quidem, qui me edocuit, Parentum loco habiturum, eíque alimenta impertiturum, & ad usum necessaria subministraturum; ejúsque posteros pro germanis fratribus reputaturum: eosdem insuper, [vel ut *Ranchinus* vertit,— *eíque cùm ad victum, tum etiam ad usum necessaria,* grato animo communicaturum & *suppeditaturum, ejúsque posteros eodem apud me, quo germanos fratres, loco fore, eósque*] *si hanc Artem addiscere volent, absque mercede & syngrapha edocturum. Præceptionum quoque & auditionum totiúsque reliquæ disciplinæ, cùm meos & ejus, qui me edocuit, liberos participes facturum.*

Nova Venerabilis Viri *B. H.* Interpretatio.

Juro, æstimaturum quidem me illum, qui me docuit hanc Artem, similiter parentibus meis, etiam vitâ communicâsse me

me, & deſideranti requiſita tradidiſſe: méque inſuper fratribus pares maſculis prognatos illo judicaturum. Hánque Artem doctúrum, ſi diſcere deſiderent, ſine mercede & ſyngrapha. Et quicquid eſt præceptionis ac narrationis totámque reliquam diſciplinam traditurum.

§. IX. Ambigitur primùm de *Aoriſtis*, quos Latinè per *Futura* efferunt Interpretes alii, tanquam confusâ & parùm accuratè redditâ ratione temporum. Eſt ſanè *Aoriſtus*, affirmantibus omnibus Grammaticis, quod & nomen indicat, *Tempus* incertæ & *indefinitæ ſignificationis*: ut & pro triplici *Præterito* ſumatur, & nonnunquam pro *futuro*, unde originem traxit, & interdum pro *præſenti* ponatur. Verùm id ſi peccatum ſit, habent quo ſe excuſent ex *varia lectione*, quam tu pariter, *Ornatiſſime Vir*, uſurpas in tribus ſaltem verbis, ἡγήσεσθαι, ὑπισχνεῖσθαι, & ποιήσεσθαι. Quare quod tu tibi licere voluiſti in iſtis tribus, non video cur idem illis non licuerit in reliquis, aſtipulante eâdem exemplarium fide. Et profectò, ni fallor, vel ipſa varia lectio ſatis probat *Aoriſtos* pro Futuris indifferenter poni: quippe quæ Futura pro Aoriſtis conſtanter reponat. Nec erit illud, fortean abs re adnotâſſe; utráque ſive *Futura*, ſive *Aoriſtos*, in modo *Infinito* non incommodè migrare in ſignificationem *Præſentis*, cùm latinè redduntur. Nam cùm ſit *Juramentum Promiſſorium*, perinde eſt, dicat quis, *Promitto facere*, vel *Promitto me facturum*; quum ille Accuſativus [*me*] Græcè deſideretur: quod ſi reddas Anglicè magis parebit. **I promiſe upon Oath to honour my Maſter as a Parent, to maintain him, if need be, and to ſupply his Wants,** &c. Id ideò dico, quia, ut obiter moneam, cur malis ἡγήσεσθαι quàm ἡγήσασθαι, mihi non ſatis liquet.

§. X. Inter ἴσα & ἴσον eſſe nonnihil differentiæ fatendum eſt: quippe illud *Adverbium*, hoc *Adjectivum*, quod tamen quandóque ponitur *Adverbialiter*, ut ἴσον φαείνει φιλεῖν,

λεῖν, *oculorum inſtar amare, i. e.* æquè charum habere. Conveniunt tamen ſenſu hæ locutiones, *viz.* ἡγεῖσθαί τινα ἴσα τοῖς γονεῦσι & ὑπομένειν τινα ἴσον ἀδελφῷ, h. e. *parentis* aut *fratris loco habere*; quanquam diverſa verborum indoles variam depoſcat Syntaxin. Nam ἴσα eleganter adjungitur τῷ ἡγεῖσθαι, quod δ ὑπομένειν ægrè admiſerit. Et in his quidem & ſimilibus, non eſt uſque adeò mirum, ſi *Græcitati* exprimendæ parùm aptè reſpondeat *Latinitas*. Porrò & id addubito, ut apertè loquar quod ſentio, num hujuſmodi Phraſis, ἴσά σοι ποιῶ τοῦτο, *ſimiliter tibi hoc facio*, ullibi reperiatur apud Græcos; quomodo apud te legitur, videlicet, ἴσα γονεῦσιν, βίου κοινώσασθαι, *ſimiliter parentibus, vitâ communicare*.

§. XI. Et de cæteris quidem minùs erat laborandum, ſi de hac una voce conſtaret βίος. Nam cùm ſit vox πολύσημος, tamen nondum probè ſcio, an ea ſignificatio, quam tu hic adfers, locum habere poſſit? Enimverò duplex videtur eſſe *vita*, *quâ* vivimus, ſcilicet, & *quam* vivimus. Illa ζωὴ dicitur, hæc βίος. Parentes igitur cùm generant, dant ζωὴν, cùm alunt βίον. Hoc dico, βίον ferè accipi pro ſubſidiis & commodis vitæ, putà *victu* & *amictu*; item pro *tempore* ſive *curriculo vitæ*: non autem, quod ſciam, pro principio vivendi. Proinde fidenter affirmo, cardinem Controverſiæ in hac una phraſi verti, βίου κοινώσασθαι· quæ ſi abs idoneo aliquo auctore uſurpata reperiatur eo ſenſu, quo Parens generat filium, *i. e.* ei vitam impertit (neque enim hic de alendis, de paſcendis & veſtiendis liberis, aut diſcipulis ſermo eſt) poterit non incommodè admitti tua, *Vir Clariſſime*, interpretatio. Nec illud prætereundum, quòd *P. Memmium* ſuggillet *Meibomius* eo nomine, quòd βίον ſimili prope ſenſu acceperit, dum hæc verba ſic explicat, ut diſcipulus juret ſe etiam *vitam* ſi opus ſit, pro Magiſtro impendere & profundere paratum fore.

§. XII.

§. XII. Reſtat unicum verbum χρηΐζειν, quod, cùm bis ponatur, tu utrobique eodem ſenſu, non præter rationem accipis. Simul pulchrè alludis ad *Oracula*, quæ inde χρησμοὶ dicuntur. At vereor, nè non ſit idem, ex quo hæ ſignificationes effluxerint: Nam à χράω ortum χρήζω, quod de oraculis dicitur; χρηΐζω verò *indigeo*, à χρεία *neceſſitas*. Quare *priori* ſaltem loco, ſecundùm receptam ſententiam, ſuppeditanda neceſſaria Magiſtro χρηΐζοντι, h. e. *ſi indiguerit*: & quia qui indiget, deſiderat id quod eget, *poſteriori* loco ejus filii Artem Medicam edocendi, ἢν χρηΐζωσι, *ſi diſcere eam deſiderent*, vel etiam *opus habeant*. Nam fieri poteſt, ut ſint priùs edocti, nec jam neceſſe habeant doceri; vel etiam ut ſe ad alias artes verterint, atque adeò Arte hac non indigeant.

Ut aliquando finem hiſce gerris & affaniis meis imponam: Ego vel maximè veniâ tuâ, *Reverende Domine*, eáq; non minùs prolixâ, quàm hæc eſt, quam vides, Epiſtola, *indigeo*; eámque humillimè *deſidero*, qui literato tuo otio tam fœdè ac petulanter abuſus ſim. Nimirum, dum ſtudeo officii tarditatem prolixitate penſare; vereor, ne, excuſando veterem culpam, in novam inciderim. Eſt & illud, in quo, *Vir Humaniſſime*, humanitatem illam tuam obteſtor. Noli, obſecro, me exiſtimare quidquam hîc contradicendi ſtudio ſcriptitâſſe. Quòd in hac velitari diſceptatiuncula Adverſarii induerim perſonam, quòd libertatem objiciendi in obſequii parte poſuerim; cedet illud quadantenus in veſtrum commodum. Succreſcet tibi amplior ſeges, ſuggeretur hinc uberior materia firmandæ ac ſtabiliendæ opinionis tuæ, ex argumentis iſtis (ſiquidem iſta *argumenta* dicenda ſint, quæ aggeſſi) perſpectis, perpenſis. Benè & feliciciter vale, & quod *Græci* dicunt, Ἔρρωσο.

Venerabilis Domine,

17mo Kalend. *Apr.* Anno ſalut. 1674.

Tibi ex animo addictiſſimus,

AD. LITTLETON.

Ejuſdem ADAMI *Carmen* εὐχαριστικὸν *ad Venerabilem Virum, pro ſummis meritis & egregiis erga Eccleſiam* Chelſeianam *Benefactis.*

VENRABILI VIRO,

τῷ πάνυ, *& multis Nominibus Colendo,*

*D*no BALDUINO HAMEY,

† *Medico Phil-Evangelico, Collegii* Londinenſis *Socio Primario, Eccleſiæ* Chelſeianæ *D.* LUCÆ *Sacræ* ἐυεργέτῃ Meritiſſimo,

Εὐζωΐαν & Εὐθανασίαν.

† *Eo illum ego Titulo inſignio, quo ſe inſigniri voluit. Ita fert* Campanæ *donatitiæ Inſcriptio,* D. LUCÆ Medico Evangelico Balduinus HAMEY Phil-Evangelicus Medicus D. D.

QUO, *Venerande Senex*, dignas Tibi pignore Grates
Perſolvam? Tactura Chelyn mea Muſa fatiſcit.
Si mihi ſuppeterent tales in Carmina Vires,
Ut liceat Verbis Herbas æquare potentes,
Quas *Epidaurus* alit, quas *Côa* & *Theſſala tellus*;
Deficerem. Quòd ſi, Tu quantus in Arte medendi es,
Si, quantus Pietate cluis, Factiſque benignis,
Tantus Ego docto, ſi fas, evadere poſſem
Eloquio; Meriti foret hæc pars infima Veſtri.
Nam mihi, cùm primùm acceſſi, corámque tueri
Affaríque datum eſt, Capitis Reverentia cani
Mox tetigit, tanquam conſpecto Numine, mentem.
Qualis in Ore refulget Honos? Quàm læta Senectus,
Facundo Sermone potens? Quàm mens ſibi conſtans,
Annorum immortale decus? Sic veſter *Apollo*,
Si detur ſumpſiſſe Habitum, Vultúmque ſenilem,
Spectandus foret. Haud alium agnoviſſe velitis
Vos, *Muſæ Charitéſque*, Patrem. Medicina Senatum
In Te uno oſtendiſſe ſuum contenta, fatetur

Se

Se Studiis debere Tuis & Moribus omnem,
Quam promittit, opem. Quæcunque humanior Ars est,
Præsidiis firmata Tuis viget. Æger Eundem
Sentit Patronum, Patronum sentit Egenus;
Sive Ope, sive Opibus, fessos relevare peritum,
Gaudentem alternare vices Pietatis & Artis.
Te Tua Evangelico sociaverit æmula Virtus
Cum Medico LUCA, cujus sectaris & Artes,
Tutarísque Aras Idem: cui Fana vetustas
Exedit collapsa situ, renovata resurgunt,
Te Medicas præbente manus. Tu factus es alter
Lucæ ipsi *Lucas*. Ecclesia nosta Valere
Te sine non potuit, Vestris reparata Metallis,
Argento, Plumbo, Ære. Adeò hæc Tibi Chymica Sacra
Accedit Titulis, Laudúmque exauget acervum.
Mœnia Te Templi, Te plumbea Tecta loquuntur;
Te, *Lucámque* Tuum resonabunt Æra canora.
Jam duplex, *Chelseia*, Tibi est Tutela Penatum,
Et Divus LUCAS, Divísque Simillimus HAMEY.
Quid tibi nos tanto pro Munere ritè precemur?
Vivas; & *Cöæ* metas emense senectæ,
Mollia tranquillæ deducas tempora vitæ,
Quémque Arte exæquas, superes ætate *Galenum*.

Scribebam Gratitudinis ergô,

AD. LITTLETON.

Epistola Clarissimi Viri Theodori Ryckii, *Eloquentiæ & Historiæ* Leidensis *Professoris, ad Dominum* D. B. H.

Vir Nobilissime & Clarissime!

ACcidit nobis, ex quo novam Tuam ad Jusjurandum *Hippocratis* interpretationem vidimus, quod accidere solet iis, quibus ϑοῦς ὅτι Γλαύκης dicitur. Tanta

Ejuſdem ADAMI *Carmen* εὐχαριστικὸν *ad Venerabilem Virum, pro ſummis meritis & egregiis erga Eccleſiam* Chelſeianam *Benefactis.*

VENRABILI VIRO,

τῷ πάνυ, *& multis Nominibus Colendo,*

Dno BALDUINO HAMEY,

† *Medico Phil-Evangelico, Collegii* Londinenſis *Socio Primario, Eccleſiæ* Chelſeianæ *D.* Lucæ *Sacræ* εὐεργέτῃ Meritiſſimo,

Εὐζωίαν & Εὐθανασίαν.

† *Eo illum ego Titulo inſignio, quo ſe inſigniri voluit. Ita ferit* Campanæ *donatitiæ Inſcriptio,* D. LUCÆ Medico Evangelico Balduinus HAMEY Phil-Evangelicus Medicus D. D.

QUO, *Venerande Senex*, dignas Tibi pignore Grates
Perſolvam? Tactura Chelyn mea Muſa fatiſcit.
Si mihi ſuppeterent tales in Carmina Vires,
Ut liceat Verbis Herbas æquare potentes,
Quas *Epidaurus* alit, quas *Côa* & *Theſſala tellus*;
Deficerem. Quòd ſi, Tu quantus in Arte medendi es,
Si, quantus Pietate cluis, Factíſque benignis,
Tantus Ego docto, ſi fas, evadere poſſem
Eloquio; Meriti foret hæc pars infima Veſtri.
Nam mihi, cùm primùm acceſſi, corámque tueri
Affaríque datum eſt, Capitis Reverentia cani
Mox tetigit, tanquam conſpecto Numine, mentem.
Qualis in Ore refulget Honos? Quàm læta Senectus,
Facundo Sermone potens? Quàm mens ſibi conſtans,
Annorum immortale decus? Sic veſter *Apollo*,
Si detur ſumpſiſſe Habitum, Vultúmque ſenilem,
Spectandus foret. Haud alium agnoviſſe velitis
Vos, *Muſæ Charitéſque*, Patrem. Medicina Senatum
In Te uno oſtendiſſe ſuum contenta, fatetur

Se

Se Studiis debere Tuis & Moribus omnem,
Quam promittit, opem. Quæcunque humanior Ars est,
Præsidiis firmata Tuis viget. Æger Eundem
Sentit Patronum, Patronum sentit Egenus;
Sive Ope, sive Opibus, fessos relevare peritum,
Gaudentem alternare vices Pietatis & Artis.
Te Tua Evangelico sociaverit æmula Virtus
Cum Medico LUCA, cujus sectaris & Artes,
Tutarísque Aras Idem: cui Fana vetustas
Exedit collapsa situ, renovata resurgunt,
Te Medicas præbente manus. Tu factus es alter
Lucæ ipsi *Lucas*. Ecclesia nosta Valere
Te sine non potuit, Vestris reparata Metallis,
Argento, Plumbo, Ære. Adeò hæc Tibi Chymica Sacra
Accedit Titulis, Laudúmque exauget acervum.
Mœnia Te Templi, Te plumbea Tecta loquuntur;
Te, *Lucám*que Tuum resonabunt Æra canora.
Jam duplex, *Chelseia*, Tibi est Tutela Penatum,
Et Divus LUCAS, Divísque Simillimus HAMEY.
Quid tibi nos tanto pro Munere ritè precemur?
Vivas; & *Cöæ* metas emense senectæ,
Mollia tranquillæ deducas tempora vitæ,
Quémque Arte exæquas, superes ætate *Galenum*.

Scribebam Gratitudinis ergô,

AD. LITTLETON.

Epistola Clarissimi Viri Theodori Ryckii, *Eloquentiæ & Historiæ* Leidensis *Professoris, ad Dominum* D. B. H.

Vir Nobilissime & Clarissime!

ACcidit nobis, ex quo novam Tuam ad Jusjurandum *Hippocratis* interpretationem vidimus, quod accidere solet iis, quibus βοῦς ἐπὶ Γλώττης dicitur. Tanta

ta enim fuit muneris, quo *Academiam* noſtram ornare voluiſti, inter omnes admiratio, ut præ illa verum aut non videremus, aut, ſi videremus, proferre ſubruſticum exiſtimaremus. Poſtea cogitantes non ideò à Te datum, ut nos haberes in iſta cogitatione Tuâ ὁμοψήφους, ſed Te illius occaſione duntaxat uſum, ad judicium noſtrum explorandum, decrevimus liberè & ſimpliciter, quid de hac obſervatione Tuâ ſentiremus, proponere.

Primùm itaque veremur, ingenioſiùs Te hæc obſervâſſe, quàm veriùs. Certè, quantum colligere poſſumus ex diverſis locis Tuæ *Diatribes*, obſervatio Tua *fictitiæ hypotheſi* innititur. Exiſtimâſti enim *Hippocratis* auditores juràſſe hoc jusjurandum, cùm tyrocinium deponerent & artem medicam edocti jam eſſent: qui uſus hodie quidem in pluribus Scholis obtinet. Sed longè aliter ſeſe res iſta habuit olim. *Hippocrates* novitios, quamprimum in diſciplinam acciperet, *jurare* compulit, ut per hoc animos illorum, non aliter quàm *Pythagoras* per ſilentium, ad virtutem præpararet. Hoc ex ipſo jurejurando manifeſtum eſt: quippe quo jurati, ſi unquam in *Doctores* evaderent, vetantur ulli diſciplinam tradere, niſi qui *Syngraphàm* dediſſet & idem *jusjurandum* præſtitiſſet; in verbis: ℭ τῆς λοιπῆς ἁπάσης μαθήσιος μετάδοσιν ποιήσεσθαι, ὑοῖσί τε ἐμοῖσι, ℭ τοῖσι τοῦ ἐμὲ διδάξαντος, ℭ μαθηταῖσι συγγεγραμμένοις τε ℭ ὡρκισμένοις νόμῳ ἰητρικῷ· ἄλλῳ δὲ οὐδενί. Quod ſi non ſufficiat; audi *Scribonium Largum* in præfatione ad *C. Julium Calliſtum*. Hippocrates, *Conditor noſtræ profeſſionis, initia diſciplinæ ab jurejurando tradidit, in quo ſanctum eſt, ne prægnanti quidem Medicamentum, quo conceptum excutitur, aut detur, aut præmonſtretur à quoquam Medico, longè præformans animos diſcentium ad humanitatem.*

Vide, ſi placet, an poſt hæc nova tua Interpretatio ſtare poſſit, &, an Diſcipulus ſine perjurio in introitu jurare potuerit, *exiſtimaturum quidem ſe illum, qui ſe docuerit hanc Artem, ſimiliter parentibus ſuis, vita etiam communicâſſe*

municâsse se, & desideranti requisita tradidisse. Nam hunc sensum novum exsculpis, retentis duobus istis *Aoristis* cum quibusdam codd. in verbis, καὶ βίου κοινώσασθαι καὶ χρεῶν χρηΐζοντι μετάδοσιν ποιήσασθαι. Sed non omnes, ut putabas, codices hic habent *Aoristos*. Certè editio, quæ hac in urbe à *Cl. vander Linden* accurata est, habet *futura*, κοινώσεσθαι & ποιήσεσθαι: & *Joh. Henr. Meibomius*, in commentario ad jusjurandum, docet, non tantum dari exemplaria, quæ habent ἡγήσεσθαι, pro vulgari ἡγήσασθαι, verùm etiam, quæ κοινώσεσθαι & ποιήσεσθαι. Nihil igitur Te juvat Codicum autoritas. Videlicet culpa omnis in editoribus est, qui cum utrumque reperirent in MStis. optimum semper sequuti non sunt.

Sed videamus an discipulus in introitu ex sensu tuo jurare sine perjurio potuerit. Explicas illud κοινώσασθαι de *vita* illa perfectiore, quam discipulus magistro debet, & unde præceptores *parentes mentium* audiunt. Per χρέη, quorum μετάδοσιν jurat sibi factam, quæ in sequentibus παραγγελίης τε καὶ ἀκροήσιος καὶ τῆς λοιπῆς ἁπάσης μαθήσιος nomine significantur, intelligis. Jurat igitur Discipulus de *existimatione*, in qua futurus est olim, cum artem medicam didicerit. Primùm quàm frigidum est & obscurum jurare de existimatione? deinde quàm violentum jurare de existimatione futurâ? Sed quid jurat se existimaturum? *illum qui me docet* (nam ita necessariò ex isto sensu tuo vertendum est, non, *docuit*) *hanc artem similiter parentibus meis vitâ etiam communicâsse me & desideranti requisita tradidisse.*

Symbolica est locutio: resolvamus illam igitur in simplicem & propriam, quò meliùs in sensum ipsius intueamur. *Præceptores* comparantur *parentibus*: institutio illorum, *vitæ* & educationi, quæ his debetur. Ergo cùm dico me accepisse *vitam* à Magistro, allusione utor: cùm dico, me probè a Magistro institutum, loquor simpliciter. Resolvamus, inquam, allusionem; & audiamus *Hippocratis* discipulum ex sensu tuo *simpliciter*

 juran-

jurantem hoc modo: *Juro me existimaturum illum qui me docet hanc artem, probè hanc artem me docuisse.* Quis quæso sensus in tali jurejurando fuit, quandocunque etiam illud præstitum fuerit? Vides igitur, *Vir ornatissime, nobilissime & clarissime*, ingeniosiorem videri interpretationem tuam quàm veriorem.

Legendus ergo totus locus, Ὄμνυμι &c. ἡγήσεσθαι μὲν τὸν διδάξαντά με τὴν τέχνην ταύτην, ἴσα γενήτῃσιν ἐμοῖσιν καὶ βίου κοινώσεσθαι καὶ χρεῶν χρηΐζοντι μετάδοσιν ποιήσεσθαι· καὶ τὸ γένος τὸ ἐξ ἑωυτέου ἀδελφοῖς ἴσον ἐπικρινέειν ἄρρεσι. καὶ διδάξειν τὴν τέχνην ταύτην, ἢν χρηΐζωσι μανθάνειν ἄνευ μισθοῦ καὶ ξυγγραφῆς. Παραγγελίης τε καὶ ἀκροήσιος καὶ τῆς λοιπῆς ἁπάσης μαθήσιος μετάδοσιν ποιήσεσθαι υἱοῖσι τε ἐμοῖσι καὶ τοῖσι τοῦ ἐμὲ διδάξαντος, καὶ μαθηταῖσι συγγεγραμμένοις τε καὶ ὡρκισμένοις νόμῳ ἰητρικῷ· ἄλλω δὲ οὐδενί. & vertendus. *Per Apollinem Medicum, Æsculapium, Hygeiam, Panaceam; per Deos Deásque omnes juro, testes eos citans, me quantum viribus ingenioque valuero, jusjurandum hoc & Syngraphen hanc servaturum, Præceptorem (vel eum qui hanc artem me docet) loco parentum habiturum, victum etiam impertiturum & necessariorum copiam indigenti subministraturum. Posteros ejus fratrum fortium loco habiturum; eosdemque, si artem hanc discere voluerint, sine mercede & syngrapha instituturum. Præceptionum quoque & auscultationum, totiusque reliquæ disciplinæ, cùm meos tum præceptoris mei filios participes facturum, illosque insuper qui syngraphen dederint & medico jurejurando se obstrinxerint: alium verò neminem.*

Non verosimile est, te existimare Medicos antiquos, inprimis totam illam *Asclepiadarum* domum, in quâ Medicina per mille ferme annos hæreditarium fuit Bonum (*Galen.* lib. II. *exerc. Anat.* cap. 1.) gratis docuisse: hoc si non existimes, quare *Hippocrate*, qui ex ista domo erat, indignum existimas, quòd *jurejurando*, quod non tam sibi quam successoribus scripsit, obligaverit discipulos ad victum & necessaria magistro suppeditanda, in casu, quo indigeret? An non natura liberos ad ἀνικπελαργήματα

&

& ἀντιθρεπτήρια, ut eleganter Græci loquuntur, obligat parentibus præstanda? Hoccine pudendum esse etiam *parentibus* putas? aut an diversam esse caussam *magistrorum*, quos tamen *parentes mentium* fateris, & *parentum* existimas? Certè non est. Neque enim sola *Hippocratis* caussa in hoc jurejurando agitur, sed omnium *Hippocraticorum*, qui sectam olim constituerunt nobilissimam.

Τὸν διδάξαντά με τὴν τέχνην ταύτην vertendum necessario per præsens *eum qui hanc artem me docet*, aut si vis brevius *præceptorem*. Neque hoc est contra naturam *Aoristorum*, qui *præsentis* temporis non rariùs significationem habent apud Græcos quàm *Præteriti*.

Deinde βίος tam *victum* quàm *vitam* denotat, *Hesych.* βίος, ζωὴ, περιουσία. Nec *tautologia* est, quòd post *victum* mentio fiat *necessariorum*, non magis profectò, quam quòd in tua expositione post vitam, id est, *doctrinam*, adhuc mentio sit χρεῶν, id est, *præceptionum* & *auscultationum* ex quibus vita ista constat.

Non debuerunt etiam te movere duæ particulæ ἶσα & ἶσον, quæ in hoc jurejurando, ut in infinitis locis apud alios veteres, idem significant, & cum *dativo* construuntur, sive *Adverbia* illa velis, sive *Adjectiva*, quæ per Adverbia explicantur & denotant *æque ac*, *perinde ac*, eodem modo quo apud *Homer Iliad.* E. v. 71. ἶσα φίλοισι τέκεσσι & *Iliad.* 1. v. 454. ἶσον γάρ σφιν πᾶσιν ἀπήχθετο κηρὶ μελαίνῃ.

Jam τὸ γένος ἐξ ἑωυτέου non sunt *adscititii* præceptoris filii, uti existimas; *id est*, tales, quos præceptor informatione sibi peperit, sed *naturales*, posteri veri: quoniam hos sine mercede & syngrapha doceri vult, quod de illis qui jam edocti erant, intelligi non potest.

Nec ἀδελφοὶ ἄῤῥενες, quod gratiâ tuâ dictum sit, sunt, qui statim dicuntur *virtuosi*: sed *fratres strenui*, *fortes*, *masculi*, prout rectè observavit *Meibomius*: Voluit nimirum *divinus Senex*, ut discipuli præceptoris sui filios & nepotes habeant loco *fratrum*, non quidem vulgarium

 sed

sed *fortium* & qui utilem aliquam reipublicæ operam navâssent; respiciens per hoc ad reipublicæ, in qua vivebat, consuetudinem, quæ virtutem in juvenibus summis pensabat honoribus.

Habes, *Vir nobilissime & clarissime*, judicium *Medicorum* & Literatorum *Academiæ* nostræ: quod me quidem nomine omnium perscribere voluerunt. In quo si quid contra virorum clarissimorum sententiam protulerim, factum id, quòd non percepta illorum mente, meam sequutus fuerim. Vale multùm, *Vir nobilissime & clarissime*, ab omnibus & singulis, ad quos *Diatriben* tuam miseras; imprimis verò a

Virtutum Tuarum

Admiratore unico,

THEODORO RYCKIO.

Eloq. & Histor. Prof.

Lugduni ad Rhenum, Die 23. *Augusti*, *An. Christ.* CIↃIↃCLXXV.

Venerabilis Viri, Domini BALDUINI HAMEY, M. D. ad Professores *Leidenses* Responsio.

Doctissimi Professores:

NUnquam mihi venisse testor in mentem, de suffragiis eblandiendis: enucleata amicè expectabam, ab hujusmodi peritissimis.

De meo qualicunque, in *Academiam* collato munere, id, ceu alteri *Matri*, diu debitum, gratè tandem præstiti; non sine sensu nominum, de novo contractorum: cùm a *Rectore magnifico*, *Curatoribus* & *Senatu Academico*, id tanta dignatione gratiâque exceptum sit; ut à secre-

ſecretioribus, in *Bibliotheca*, cui dicatum erat, plateis, id mutatâ ſpecie, placuerit in ipſum transferre *Leidenſis Athenæi* clariſſimum *Theatrum*; ad Muſis ibi quodammodo præcinendum & moderandum in omni congreſſu ſolenniori.

De *fictitia* aliqua *hypotheſi*; nullô certè mihi ejuſmodi commentô nixo *vulgaris verſio* diſplicuit. Ipſe *Textus Græcus*, congruáque ejus Syntaxis, *Homero* præferente facem, cum *Theocrito*, aliiſque, me unicè averterant; & in τῷ ἶσα, ſanè aut ſecus interpretato, verti quodammodo hujus Quæſtionis cardinem oſtenderunt.

Homerus, (ut in tanto, apud eum, delectu pauca ſeligam) *Iliad.* E. *v.* 71. ſic habet;

——Νόθον ἔτρεφε δῖα Θεανὼ
Ισα φίλοισι τεκέσσι——

ubi *Euſtathius* hanc *Athenoris* uxorem, bonam vocat novercam, quòd Νόθον ἔτρεφεν ἐπιμελῶς, ἶσα φίλοις τέκνοις. Non dicitur Nothus ἶσος *ſimilis*, ſed ἶσα *ſimiliter* φίλοις τέκνοις educatus. Item & *Iliad.* N. *v.* 176.

——Ὁ δέ μὲν τίεν ἶσα τέκεσσι.

Videatur etiam *Odyſſ.* Λ. *v.* 483. videlicet,

——Σὲ ζωὸν ἐτίομεν ἶσα Θεοῖσιν.

Et *Hippocrates* in hoc juramento; ὁ διδάξας ἶσα γενέτησι, diſcipulum ſuum, βίου ἐκοινώσατο. Profectò non magis *ova ovorum* (quod dicitur) aut *apes apum*, quàm hæc *Homeri* & *Hippocratis* ſimilia ſunt: & ubique ἶσα adverbialiter ſumitur verbóque adjungitur. Sic *Phavorinus* in ſuo Lexico, ἶσα, κατ' ἶσον, ἐπιῤῥηματικῶς, & ἐπίῤῥημα dicitur, quia ἐπὶ τὸ ῥῆμα τὴν διαφορὰν ἔχει, ut etiam apud Latinos *Adverbium*, quia verbo præcipuè adhæret. Verbis verò adjungi priora exempla probant, ut videre eſt; *viz.* ἔτρεφεν ἶσα, κεν ἶσα, ἐτίομεν ἶσα, denique ἶσα βίου ἐκοινώσατο. *Theocritus* utroque horum junior, *v.* 135. *Idyll.* 17. nos porro firmat: ibi ἶσα rurſum cum verbo,

——Σέθεν δ' ἐγὼ ἶσα καὶ ἄλλων,
Μνάσομαι ἡμιθέων.——

Ubi

Ubi commodè notetur, ὃ ἴσα non ſimpliciter legi, ſed ἴσα ἓ *pariter ac*, omnino ex mente *Hippocratis*, qui, *pariter ac* parentes, præceptorem, ait, ſuos vitâ beare: nec magis ex illius mente, quàm ex vetuſtiſſimis ejuſdem codicibus, ubi τὸ ἴσα ἓ legere eſt, referente *Meibomio*, *fol.* Commentarii ſui 76, ſed minus, fateor, probante, ex non conſulto forſitan *Theocrito*, & è minus id ferente vulgari jam ſuâ tantopere vindicatâ *antipelargicâ* verſione.

De ἴσα verò & ἴσον adjectivis, ubique autorum ſatis eſt.

Mihi igitur (cum venia tot Interpretum) malè videtur ὃ ἴσα ſeparari à verbo κοινώσασθαι, aliáque porrò disjungi, quæ eidem periodo erant includenda.

Quid enim *primò*, congruè magis, vel eleganter dici Græcè potuit: quàm ἡ διδάξαντα κοινώσασθαι? Quid enim aliud eſt *docuiſſe*, quàm *communicâſſe*? Ipſa tempora videntur unionem efflagitare; hæc tamen ſeparantur, &, contra tot excuſos Græcè codices, ὃ κοινώσασθαι, latinè vertitur in ſenſum τῷ κοινώσεσθαι, invertendo, hoc modo, omnia. Quem enim *Medicorum Princeps* jure voluit Præceptoris ſui profiteri excellentiam, hunc introducunt Præceptori ſuo ceu mox carituro, properè pollicentem alimentum.

Secundò; quid potuit magis verè dici, quam ſua, ἡ διδάξαντα ἴσα, vel ἴσα ἓ γενέτησι κοινώσασθαι? Nimirum *Præceptores pariter ac Parentes* ſua ſuis *impertiviſſe*? Quid autem impertiunt *Parentes*? Vitam rudem. Quid *Magiſtri*? Vitam eruditam. Igitur planè & pulchrè dicitur uterq; βίᾳ ſuos ἴσα κοινώσασθαι.

Quid *tertiò* honeſtius; quàm *Didaſcalum* diſcipulo ſuo, μανθάνειν (ut mox ſequitur) χρῄζοντα, diſcere cupienti, χρεὼν μεταδοσιν ποιήσασθαι, *neceſſaria communicâſſe*? In lucem, ſcilicet, aut vitam edito, vitalia contribuiſſe?

Sic demum emergit heroïcum, *divino Sene* dignum *Jusjurandum*. Voluit Vir ſummus, communem omnibus Parentibus honorem, ſibi etiam tribui. *Illis* à prole ſua ob acceptam *Vitam*: *ſibi* à diſcipulis, ob traditam, vitæ inſtar, *Artem*. Nihil illic de victu, quem unus fortè & alter

alter mirè infælix petat, expectetur: magnanimus aliquis paulóque prudentior, vix aut ne vix egeat,

—*Undique totis*
Ni miserè turbetur agris. —

Tam grato animo simplicíque verborum munditie, jurabant *Græci* olim Medici: quàm verò bellè varient hodie *Latini*, audiamus.

Juro me æstimaturum Præceptorem Parentibus meis parem: atque ibi figunt colon. Sequitur immediatè, *Juro me illum victu communicaturum, & indigenti necessaria traditurum.*

Ex tribus primis verbis, ita separatim positis, fit purus putus *Solœcismus* Græcus: Ἶσα enim pro Ἴσος nullius classici autoris est. In reliquis est ταυτολογία non frigida, fateor, sed mirè gestiens & faceta. Nunquid enim qui panem, *victum* præbet, non præbet *necessaria*? hîc tamen Discipulus post *victum* ad *necessaria* inducitur. Nunquid, qui *vitam* dat, non debet *necessaria* ut duret? Quò aliàs ubera edito fœtu? Quidam tamen parem esse volunt, in tam disparibus, περιττολογίαν, adeóque illum non minùs ταυτολογεῖν, qui *victum* dixerit viventi esse necessarium, quàm qui exegerit *necessaria* post panem impetratum. Nunquid, non egenti Præceptori ἀντιπελαργήματα illa tribuenda? An non igitur, πτερυγίζοντος potius pulsi est, quàm ἀνὴκ πελαργοῦντος discipuli, Præceptore suo, uno verbulo laudato, eodem halitu crepare, de eodem absolutè sustentando; póstque pernescio quam ἐπανόρθωσιν eidem indigenti necessaria polliceri? Imo nonne jurat Discipulus se, jam jam hæc omnia præstitisse? Suppetias scil. & nescio quæ præterea Præceptori suo tulisse, nisi, per Postulatum, plusquam Mathematicum, concesseris, *Aoristos* ponendos pro *Futuris*? Et hæc omnia, ut βίος transeat in *victum*, te ipso, *Divine Senex*, præeunte verba tam incondita; qui, præ omnibus mortalibus, in minimis maximus, tuósque solitus triplici decomposito, omnia, προ-εξ-ευκρινήσαντας λέγειν καὶ ποιεῖν

ut

ut tibi scilicet, tam simplici & puro, tam eleganti & A
phoristico in cæteris operibus; hîc primùm libuerit Φλε
κίζειν, hic placuerit Ταυτολογεῖν, immò ἀκυρολογεῖν,
prima statim parte Ὅρκου tui sanctissimi, mihi saltem no
fit verisimile.

Nihilominus fateor, me, argumento illo ἀπὸ τῆς *Auth*
ritatis non parùm moveri: tot doctis clarisque viri
menti meæ intercedentibus. Immò prorsus ignoro, qu
animi fuerit tot Interpretum primo. Sed illum secut
non temerè censeamus; hoc levi Textûs Græci interpu
gendi errore commodè usos ad gravissimum turpissimúm
ingratitudinis crimen, sub tanto nomine, redarguendu
adeóq; *vulgarem versionem*, eodem semper sensu, verb
subinde magis liberalibus incrustatam amandâsse, post
risq; securè credidisse.

Postremò, his ita ad incudem revocatis; de iisde
necne ad mei amantissimos transmittendis; memet ipsu
consului. Valuit autem, vicitque statim ratio de hac ser
non ultra reciprocanda: cùm ob nuperam, super re pr
posita præter spem, circuitionem; tum, ne viderer vel si
dio ἀυθολαχῆς teneri, vel velle obtundendo δευτέρας φε
τίδας extorquere, quæreréque laureolam in mustaceo for
cui, domi, summi nuper Critici & gratias habuerunt,
suam *Hippocrati* verè assertam ὄμνοιαν & literis ultro pr
fessi sunt, id se, *meo acumini* (verbo absit invidia) d
berem: qui, tam levi, tam nullâ ipsius Textus variation
unius *coli* in *comma*, primæque vocalis in secundam m
tatione, omnia pristino nitori restituerim. Hi mihi o
nem respondendi causam abstulerunt.

In agro *Chelsensi*
Oct. 23. 1675.

B. J

FINIS.